



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.  
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in  
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;  
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

**Poncius, Joannes**

**Lugduni, 1659**

Disputatio II. De natura Logica, seu Dialecticæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

aptitudo ad essendum in multis simul & coniunctim, exorta ex indifferentia positua quam natura communis nō obtinet nisi per opus intellectus facientis vniuersale

*Ad hac dico* non posse negari ab intelligente terminos minores illam meam: & quod opponit Mastrius non haberet apparentiam, nempe per denominationem extrinsecā non posse concipi prædicatum referri ad subiectum, nisi concipiatur illa denominatio per modum relationis rationis; nam certe quādo intellectus iudicat parietem v. g. esse album, dicendo interius paries est albus, prædicat albedinem de pariete, nec per illum actū facit vllum ens rationis: sed eo ipso albedo est prædicata de pariete, & paries est subiectum, hoc est illud de quo prædicat, vel dicit albedinem: ergo per illum ipsum actum habetur denominatio prædicati in albedine, & subiecti in pariete, & consequenter per denominationē extrinsecā desumptā ab illo actū paries habet esse obiectum, & albedo in concreto prædicatum, sed hoc supposito qui cōsideraret, aut conciperet, quod daretur talis actus in intellectu, conciperet parietem esse subiectum, & album esse prædicatum, quamuis nullum ens rationis conciperet, nec esset tale ens vllum possibile, nec est necesse vt referantur illa duo extrema ad inuicē alio modo quam quatenus vnum est subiectum de quo aliud dicitur, & alterum est prædicatum quod de alio dicitur. Vnde quamuis possit fingi quod haberent aliam aliquam relationem ad inuicem à qua haberent illas denominationes, & si id fingeretur, fieret ens rationis; tamen hoc non est necessarium; sed sufficit ad hoc vt intelligatur vnum esse subiectum, & alterum prædicatum, quod concipiatur actus ille, quo vnum dicitur de alio; quod sane videtur mihi euidens. Per quod patet ad primam rationem.

*Ad secundum dico* quod ex suppositione iam probata, quod illi termini prædicatum, & subiectum possint explicari per denominationes extrinsecas, ea vt sic concepta esse terminos secundæ intentionis, quia per huiusmodi terminos intelligunt omnes, subiectum prædicatum, genus, speciem & similia, quæ habent esse talia per denominationem extrinsecā, & his conueniunt regulæ omnes quæ dantur de prædicatione terminorum secundæ intentionis.

*Ad tertium denique:* Respondeo negando aptitudinē proximam naturæ vniuersalis necessario haberi ab ente rationis; nam eo ipso quo quis concipit naturam hominis, & præterea Petri & Pauli, illa natura erit proxime apta, vt prædicetur de illis. Et quāuis natura haberet indifferentiam posituam per operationem intellectus, nō sequitur quod illa indifferentia sit ens rationis, sicut nec ex eo quod res habet esse cognita ab operatione intellectus, sequitur quod esse cognitū sit necessario ens rationis, quia vt dixi sæpe, habet esse cognitum per denominationem extrinsecā desumptā à cognitione qua cognoscitur, seu ex eo quod terminet talem cognitionē, neq; prorsus vt sit, aut dicatur cognita, requiritur fabricatio vllius entis rationis, quia posset illa denominatio haberi, quamuis esset impossibile facere ens rationis.

## DISPUTATIO II.

### De Natura Logicæ seu Dialecticæ.

**I**AM vulgare est, hæc duo nomina; *Logicam* scilicet ac *Dialecticam* à Græcis ad nos peruenisse, & *Logicam* quidem derivari à nomine Græco λόγος, quod significat sermonem, seu rationem; *Dialecticam* verò à verbo Græco διαλέγεσθαι, quod significat quandoque probabiliter disserere, quandoque sermocinari, seu disputare. Et quamuis non constet inter autores, quid his nominibus intellexerit Philosophus, quibusdam dicentibus, quod per *Logicam* intellexerit illam partem, quæ agit de demonstratione, in libris posteriorum comprehensam; & per *Dialecticam*

illam alteram partem, quæ de syllogismo Topico octo libris Topicorum diffusè traditur, aliis verò cōtra asserentibus nunquam eum nomine *Logicæ* substatuere, sed adiectiue tantum vsum fuisse, nomine verò *Dialecticæ*, licet communiter partem Topicam significare solitus sit, quandoque tamen illam partem, quæ versatur circa syllogismum vt sic, significasse: Communis tamen iam vsus tenet totam artem disserendi, seu ratiocinandi vtroque nomine appellari, cui quidem vsui vtriusque nominis etymologia optime accommodari potest, iuxta quā *Logica* idem est ac ars seu facultas rationalis, seu ratiocinandi, *Dialectica* verò idem ac ars seu facultas discurrendi seu disserendi, hoc est ex notis ignotum sine erroris periculo deducendi: quod certe toti huic disciplinæ, de qua modo sermonem instituimus, quoad omnem eius partem congruit, cum nulla sit eius pars, quæ ad hoc non conducatur.

### QVÆSTIO I.

*Quod sit obiectum scientiæ vt sic tam materiale quam formale.*

**N**ON potest vlla cognitio explicari nisi per ordinem ad obiectum, quod cognoscitur per ipsam; vnde cum *Logica*, cognitio quædam sit, vt explicemus naturam eius, necessarium est ostendere circa quod obiectum versatur; quia vero eadem est via cognoscendi quid sit obiectum *Logicæ* ac cæterarum scientiarum, placuit hanc quæstionem proponere de obiecto scientiæ vt sic, vt resolutio communis communi modo tractetur, circa quod

*Notandū primo*, scientiam quamlibet duplex habere obiectum, vnum in complexum, complexum alterum. Obiectum cōplexum est propositio obiectiua, quæ per scientiam cognoscitur; obiectū vero incomplexum est subiectū istius propositionis v. g. cognitionis seu sciētīæ, qua cognoscitur hominem esse risibilem, obiectum cōplexum est tota illa propositio obiectiua: *homo est risibilis*; obiectū autē incomplexum est *homo*, qui est subiectū istius propositionis. In præsentiarū autem non agimus de obiecto complexo, sed de incomplexo, quod variis nominibus appellari solet ob diuersas rationes; nā vocatur *obiectum* scientiæ, quia ipsi obicitur seu proponitur; vocatur *subiectum* scientiæ, non quod scientia in ipso tanquam in subiecto inhæreat, aut de eo tanquam de subiecto prædicetur, sed quod de eo tanquam de subiecto alicuius prædicati scientia cognoscat illud prædicatum; vocatur *materia circa quam*, quia scientia circa ipsū versatur considerando naturam ac proprietates eius.

*2. Notandum secundo*, de eadē omnino re seu de eodem obiecto incomplexo posse haberi diuersas species sciētīas & cognitiones, potest enim de homine sciri seu cognosci per Metaphysicā quod sit vnū, verū, bonū, & substantia; per Physicā quod sit mobilis; per medicinā quod sit sanabilis; per Theologā quod sit ordinatus ad vitam æternā; per *Logicā* quod sit species prædicabilis. Imo de eodem obiecto incomplexo potest idem prædicatum cognosci per diuersas species scientias seu cognitiones, nam potest de homine cognosci à priori quod sit risibile ex eo quod sit rationale, & etiā à posteriori ex eo quod rideat; scientia autem à posteriori distinguitur specie à scientia à priori. Vnde cum scientiæ, vt communiter supponitur, specificentur ab obiectis, hoc est cum cognoscatur quod habeant diuersas essentias ex eo quod versentur circa talia vel talia obiecta, sequitur necessariō assignandas esse plures rationes, secundum quas diuersæ scientiæ de eodem obiecto haberi possent, nam si secundum eandem rationem versarentur circa ipsum, ex obiecto non posset desumi distinctio, aut specificatio eorum, vt patet.

*Notandum tertio*, non tantum quæri hic de obiecto scientiæ proprie loquendo, quæ est cognitio discursiua, sed de obiecto etiam scientiæ, loquendo late quatenus comprehendit quamcumque cognitionem, siue discursiua sit, siue non.

*3. Quidam* satis doctus Scotista recentior asserit, obiectū formale scientiæ esse obiectum illud, ad quod cætera

Quid obiectū cōplexū scientiæ?  
Quid incomplexum.

Varia nomina obiecti incomplexi.

De eodē obiecto incomplexo variæ species scientiæ haberi possunt.

Scientiæ cuiusdā Scotistæ de obiecto formali.

tera obiecta reducuntur; obiectum vero materiale esse obiecta secundaria, quæ ad illud obiectum reducuntur: v.g. obiectum formale Logicæ esse syllogismum vel modum sciendi, obiecta vero materialia esse propositionem, terminum, orationem, demonstrationem. Sed hic modus explicandi obiectum materiale & formale non placet, tū quod sit ab ipsomet solo excogitatus, & quod confundat obiectum formale cum obiecto adæquato attributionis, inter quæ tamen est maxima differentia: tum quia in ipsomet obiecto adæquato, seu attributionis assignari debet duplex ratio; materialis & formalis: quia diuersæ sciendi de ipso haberi possunt, potest enim cognosci de syllogismo, seu de modo sciendi, quod sit prædicabile, per vnam cognitionem, & quod sit oratio ignoti manifestatiua per aliam scientiam distinctæ speciei; tum denique quod non possit haberi actus circa obiectum materiale, quin detur obiectum formale eius, vt omnes fateri debent, sed certum est posse cognosci quid sit propositio, quid terminus, quid oratio, etiam si non cognosceretur, imo etiam si per impossibile non daretur syllogismus, aut modus sciendi: ergo actus, quo cognoscitur quid sit propositio, non habet pro obiecto formali syllogismum, aut modum sciendi.

Per quam doctrinam facile impugnatur alius modus dicendi, quo vtitur. *Arriaga hic disp. 1. n. 2.* tenens obiectum formale esse id quod primò & per se attingitur ab intellectu per scientiam, & obiectum materiale quod attingitur propter aliud. Hic inquam modus dicendi ex dictis impugnatur, quia in illo ipso obiecto, quod propter se cognoscitur, assignari debet ratio formalis & materialis, quādoquidē de eodē ipso obiecto possint haberi diuersæ cognitiones, quæ etiam obiecto distinguuntur.

## CONCLUSIO I.

4. Obiectum materiale scientiæ est res considerata à scientia, sed indifferens vt consideretur per plures scientias; obiectum vero formale scientiæ est illud, per quod determinatur obiectiue obiectum materiale ad considerationem talis scientiæ. Hæc est communis, & patet, quia obiectum materiale dicitur tale ob proportionem, quam habet cum materia prima, & obiectum formale dicitur tale ob proportionem, quam habet cum forma, quæ actuatur materiam, quæ proportio consistit in hoc, quod quemadmodum materia prima ex se est indifferens ad quācumque formam, & consequenter ad quācumque speciem constituendam; ita obiectum, quod dicitur materiale, est indifferens ad terminandam quācumque scientiam ex pluribus illis specie distinctis, quæ versari possunt circa ipsum; & quemadmodum forma actuatur materiam primam, & determinat ipsam ad constituendam talem determinatam speciem, ita obiectum formale est, quod determinat obiectiue obiectum materiale ad terminandam talem determinatam scientiam: ergo obiectum materiale est id, quod est indifferens ad plures scientias, & obiectum formale est, quod determinatur ad talem vel talem scientiam in specie.

Aduertendum autem hic breuiter, antequam vltius progrediamur, obiectum formale diuidi ab authoribus in obiectum quod & obiectum quo; & per obiectum formale quod intelligunt totum aggregatum ex obiecto materiali, & ratione formali determinatiua; per obiectum vero formale quo intelligunt rationem determinatiuam obiecti materialis.

5. Modo remanet maxima huius rei difficultas, quæ est assignare quid sit ratio determinatiua obiecti materialis, qua intellecta facile erit omnes scientias specificare, & inter se distinguere.

Aliqui dicunt obiectum formale quo specificatiuum scientiæ esse medium demonstrationis, seu syllogismi, quo habetur scientia. Sed contra, quia per idem mediū possunt haberi de obiecto materiali eodem plures cognitiones specie distinctæ, potest enim per rationale, tanquam per medium haberi scientia de homine quod sit risibilis, & alia scientia quod sit flebilis; & alia etiam quod sit admiratiua ac discursiua. Præterea hoc modo non ostenditur quid sit obiectum formale cognitionis

non discursiua, nos autem examinamus quid sit obiectum formale cuiuslibet scientiæ, seu cognitionis, siue sit discursiua, siue non, vt ante notauimus.

Alij dicunt obiectum formale esse illud, quod determinat intellectum ad cognitionem, quam habet de obiecto materiali, v.g. in cognitione discursiua obiectum formale secundum hos erunt præmissæ, quia hæc determinat intellectum ad habendum cognitionem de conclusionem, & in cognitione fidei veritas erit obiectum formale quo. Sed contra, quia cognitiones possunt esse diuersæ speciei, quamuis eadem sit ratio motiua, nam vt modo suppono, actus fidei, quo creditur Antichristum esse futurum, cum repræsentet formaliter Antichristum necessariò debet distingui specie ab actu fidei, quo creditur Deus esse trinus, quique propterea repræsentat formaliter Deum, vt trinum, & nullo modo repræsentat Antichristum, & tamen idem est motiuum determinans intellectum ad vtrumque actum.

6. Alij existimant obiectum formale scientiæ esse definitionem, seu descriptionem obiecti materialis, quam tractat scientia. Contra tamen est, quod multæ sunt cognitiones, quæ non versantur circa definitionem vllam, vt v.g. cognitio, qua cognosco parietem esse album, hominem esse risibilem.

Quidam denique affirmant obiectum formale esse rationem illam, ob quam competit obiecto incompleto materiali prædicatum, quod per scientiam cognoscitur de ipso. Sed contra hoc quoque est, quod sæpe cognoscatur prædicatum de subiecto sine eo quod cognoscatur ratio, ob quam competit subiecto, vt patet in cognitione, qua à posteriori cognoscitur hominem esse risibilem, & in cognitione qua idem cognosceretur per fidem: sed hoc esset falsum, si ista ratio esset obiectum formale. Deinde, vt ante diximus, possunt per scientias diuersas specie cognosci plura prædicata de eodem subiecto competentia ipsi ob eandem rationem, vt v. g. de homine risibilitas & flebilis, quæ competunt ipsi propter rationalitatem. Nimis prolixum esset ceteros dicendi modos afferre. Itaque his omisissis vera sententia est proponenda.

## CONCLUSIO II.

6. Obiectum formale cuiuslibet scientiæ non est vnum quāpiam, sed diuersum, pro diuersitate comparationis scientiæ ad alias scientias: v. g. si comparemus scientiam aliquam ad alias scientias, quæ non versantur circa idem obiectum materiale, obiectum formale istius scientiæ specificatiuum, & distinctiuum ipsius erit illud ipsum obiectum materiale; si vero comparemus scientiam ad alias scientias, quæ versantur circa idem obiectum materiale, sed non cognoscunt idem prædicatum de illo, obiectum formale erit ipsum prædicatum; si denique comparemus scientiam ad alias, quibus idem prædicatum cognosceretur, obiectum formale erit ratio illa, quæ obiectiue proposita determinat intellectum ad cognoscendum tale prædicatum. Tota hæc conclusio declaratur, & probatur, quia nō ob aliud requiritur obiectum formale, quam vt cognoscatur per ordinem scientiæ ad illud, eam distingui ab aliis scientiis, vt in confesso est apud omnes; sed certum est quod scientia quæcumque, quæ habetur de homine, distinguatur specificè ab omni alia, quæ non habetur de ipso, per hoc ipsum quod illa versetur circa hominem, alia versetur circa alia obiecta materialia, ergo non est recurrendum ad vllum obiectum formale distinctum ab ipso homine, per quam illa scientia distinguatur ab aliis scientiis, quæ non versantur circa hominem; Vnde sequitur quod idem omnino secundum eandem formalitatem obiectiuiam possit esse obiectum materiale & formale, materiale quidem quatenus scientia tendit in ipsum; formale vero quatenus per ordinem ad ipsum potest colligi distinctio istius scientiæ ab aliis scientiis, & hoc communiter tenetur de ente respectu metaphysiæ, cuius obiectum tam materiale, quam formale dicitur esse ens vt ens.

Obiectū  
cogni-  
tionis  
non sit  
obiectū  
formale  
eius.

Obiectū  
formale  
scientiæ  
seu co-  
gnitionis  
non est  
vnum  
quid  
formali-  
ter.

Obiectū  
formale  
scientiæ  
seu co-  
gnitionis  
non est  
vnum  
quid  
formali-  
ter.

Idem  
potest  
esse ob-  
iectum  
formale  
& mate-  
riale  
scientiæ.

Deinde certum est quod scientia, per quam cognoscitur de homine quod sit admiratiuus, distinguatur specie à scientia; per quam cognoscitur de homine quod sit risibilis, hoc ipso quod distincta sint prædicata, quæ per illas de homine cognoscuntur, ergo prædicata illa habebunt sufficientissimam rationem formalem distinguendi illas scientias. Denique scientia, qua cognoscitur à posteriori de homine quod sit risibilis ex eo quod rideat, sine dubio distinguatur specie à scientia, quæ à priori id cognoscitur ex eo quod sit rationale; sed non potest assignari alia ratio distinctiua melior ex parte obiecti, quam quod diuersa sint motiua determinantia intellectum ad illas scientias, ergo quando comparantur duæ scientiæ, quæ de eodem subiecto cognoscunt idem prædicatum, obiectum formale distinctiuum earum erit motiuum determinans intellectum ad illas.

8. Dixi autem in conclusione, quod si comparentur duæ scientiæ distinctæ habitæ de eadem propositione complexa ad se inuicem, obiectum formale, per ordinem ad quod distinguui debent, sit ratio illa, quæ obiectiue proposita determinat intellectum ad vnam potius quam alteram; quia etiam si distinctio talium scientiarum posset provenire ab alia ratione; quæ obiectiue non proponeretur, illa ratio non esset obiectum formale, quia obiectum debet proponi; ratio autem illa non proponeretur; quare si duæ illæ scientiæ distinctæ speciei habitæ de eadem propositione complexa non haberent vllam rationem obiectiue propositam, per ordinem ad quam distinguui possent non distinguerentur ex parte obiecti vlla ratione, sed ex parte principij, aut ex aliquo alio capite; & hinc patet fidem naturalem, quæ haberi potest de futuritione Antichristi ob reuelationem, non distinguui ex parte obiecti aut formalis aut materialis à fide supernaturali, quæ de eadem futuritione haberetur ob eandem reuelationem, sed distinctionem vtriusque desumi debere ex parte principij, quatenus scilicet vna procedit ab habitu supernaturali; & altera non.

9. Quod si dicatur hinc sequi quod vna & eadem scientia habere possit plura obiecta specificata; illud quidem fatendum est, sed nulla inde sequitur inconuenientia, quemadmodum enim, homo distinguit essentialiter à lapide per animalitatem, & etiam per rationalitatem; ita scientia, qua cognoscitur de homine, quod sit risibilis, potest distinguui à scientia, qua cognoscitur de bruto quod sit irrationalis, & ex eo quod versentur circa diuersa subiecta, & ex eo quod versentur circa diuersa prædicata, & etiam ex eo quod habeantur per diuersa media.

Confirmatur hæc resolutio, quia hoc modo facillime potest cognosci quanam inter se distinguantur scientiæ, quod tamen iuxta alios dicendi modos erat difficillimum, ergo hic dicendi modus est præferendus.

Solet hic agi de alia ratione formali scientiæ, quæ vocatur ratio formalis sub qua, sed ad propositum nostrum impræsentiarum non conducit, & de ea agitur disputatione vltima & quæstione vltima Logicæ.

#### Q V Æ S T I O II.

Quidnam sit obiectum attributionis, seu adæquatum scientiæ totalis.

10. Quandoquidem in qualibet scientia totali includente varias conclusiones, & respiciente varia obiecta, plures dentur scientiæ partiales non solum actuales, quod omnes fatentur, sed etiā habituales, vt postea cum communiori sententia ostendemus, quarum scientiarum quælibet suum proprium & peculiare obiectum tam materiale, quam formale habet; & quandoquid hæ plures scientiæ non constituerent vnā scientiā totalem, nisi haberent aliquem ordinem inter se, qualē habere non possent nisi obiecta earū etiam inter se ordinarentur sic, vt cætera obiecta ad vnum aliquod ordinarentur. Hinc diuiditur obiectum scientiæ cuiuslibet totalis in obiectum attributionis, seu primarium, quod est illud, ad quod cætera referuntur; & obiectum partiale, seu secundarium, quod est quodcumque aliud obiectum consideratum in scientia, & ordinatum ad illud

aliud obiectum attributionis; examinatur ergo hic ex pluribus obiectis consideratis in qualibet scientia totali, quodnam censendum sit obiectum attributionis.

11. Sed prius aduertendum est hic à plerisque excitari quæstionem de nomine; nam veteres Doctores communiter idem intelligunt per obiectum attributionis ac per obiectum adæquatum; & per obiectum attributum, ac per obiectum inadæquatum; vnde cum ex omnibus obiectis scientiæ fateantur aliquod esse vnum quod sit obiectum attributionis, consequenter ex omnibus illis dari aliquod vnum concedunt quod sit obiectum adæquatum.

Recentiores verò quidam, & speciatim *Hurtadus* & *Arriaga* hic, non idem intelligunt per vtrumque hoc nomen, sed per obiectum attributionis intelligunt quidem illud ipsum, quod intelligunt veteres per obiectum adæquatum; per obiectum verò inadæquatum intelligunt aggregatum ex omnibus obiectis, quæ considerantur in scientia; vnde & negant dari ex omnibus aliquod vnum quod sit adæquatum: qui modus loquendi ex se non est incommodus, nam quemadmodum nulla vna scientia ex pluribus, quæ reperitur in scientia v. g. *Logica*, dicitur adæquata scientia *Logica*, sed aggregatum ex omnibus; & quemadmodum ex omnibus effectibus producibilibus ab aliqua causa nullus vnus dicitur adæquatus, sed aggregatum ex omnibus: ita etiam posset commode dici quod ex pluribus obiectis scientiæ totalis nullum vnum, sed aggregatum ex omnibus esset adæquatum obiectum eius: nec hoc esset contra vnitatem scientiæ; neque enim ex parte obiecti debet habere maiorem vnitatem quā in se habet; in se autem non habet nisi vnitatem aggregationis ex pluribus scientiis partialibus, dicentibus tamen aliquem ordinem ac subordinationem ad se inuicem, ergo nec aliam veritatem debet habere ex parte obiecti, sed huiusmodi vnitatem posset habere ex parte obiecti, quamuis nullum vnum esset obiectum adæquatum, sed potius aggregatum ex omnibus, ergo vnitatis scientiæ non infert necessario quod aliquod vnum sit obiectum adæquatum eius.

Nihilominus, quandoquidem veteres Doctores communiter idem intelligant per obiectum attributionis ac adæquatum, in quæstione de nomine potius cum illis quam cum vllis recentioribus est conueniendum, cum nihil impediatur, quominus hæc vox obiectum adæquatum posset institui ad significandum obiectum attributionis, & cum nulla difficultas tollatur negando hanc institutionem & statuendo illam alteram neotericam. Itaq; absolute tenendū quod idem sit obiectum adæquatum & attributionis in proposita quæstione: si autem quis proteruiat idem non esse significandum, præstat conuenire cum ipso de nomine: & vt nomine obiecti attributionis, ne ab examine rei transeat ad examen nominis.

12. Vt ergo soluamus quæstionem præsentem quoad rem ipsam, aduertendum est vltius tres conditiones requiri potissimum vt aliquod sit obiectum adæquatum, seu attributionis scientiæ, quas proponit *Doct. q. 3. Vniuersalium*.

Prima est, quod per se definiatur in illa scientia, habeatque principia & proprietates. Ad hanc autem reduci debet alia conditio, nempe quod non agatur de obiecto, quod dicitur vnius scientiæ, in alia scientia, nam ex hoc quod per se definiatur in vna scientia, non debet per se definiri in alia scientia, & consequenter non debet per se considerari in alia scientia: quod autem per accidens aut definiatur, aut tractetur in alia scientia, nihil impedit veritatem huius conditionis.

Secunda, quod proprietates de ipsa in scientia demonstrantur per illa principia (quod intellige quando scientia est à priori, nam alias si esset à posteriori, potius principia deberet probari per proprietates) & quidem hæ duæ conditiones æque debent conuenire cuilibet obiecto partiali & inadæquato, de quo habetur scientia.

Tertia denique conditio, quæ maxime aduertenda est, vt potest quæ soli obiecto attributionis conuenit, & per quā

Idem est obiectum adæquatum & attributionis.

Omnis distinctio scientiarum non provenit ab obiecto vilo.

Vna scientia potest habere plura obiecta specificata.

Conditiones obiecti adæquati seu attributionis.

à cæteris distinguitur, est quod cætera obiecta ad ipsum referantur, seu attribuantur; ipsum verò non referatur ad aliquod aliud obiectum, ex hac enim ratione habet esse obiectum attributionis, vt vel ex ipso nomine patet, & consequenter habet esse obiectum adæquatum, supposito quod ex communiori Doctorum veterum acceptatione idem sit obiectum adæquatum & attributionis.

Ad hanc conditionem, reducendam arbitror aliam, de qua *Doctor q. 4. Prolog.* facit mentionem, nimirum quod obiectum adæquatum, seu attributionis debeat continere omnes veritates illius scientiæ: cuius sensus est quod ipsum & secundum se, & secundum omnia obiecta attributa ad ipsum contineat omnes illas veritates: neque enim secundum se solum debet illas continere virtualiter ita, vt se solo cum intellectu posset omnes illas causare, impossibile enim est quod ens vt sic, quod ponitur obiectum adæquatum Metaphysicæ, contineat omnes veritates metaphysicas, præsertim illas, quæ habentur de Angelis, vt postea iterum dicitur *nu. 18.* agendo de hac ipsa conditione, quæ non est adeo facilis intellectu.

## CONCLUSIO I.

*13. Nulla una species infima ex pluribus speciebus consideratis in aliqua scientia totali debet assignari pro obiecto adæquato, seu attributionis scientiæ.* Hæc est communissima inter *Scotistas & Thomistas*, qui aliquid communius quam vlla species infima assignant pro obiecto adæquato, vt *Metaphysica*, ens, aut substantiam vt sic; *Physica* ens, aut corpus naturale: *Logica* syllogismus, aut modum sciendi; est autem contra *Hurtadum & Arriagam*, qui *Logicæ* assignant pro obiecto adæquato demonstrationem.

*Probat*ur: quia cætera obiecta omnia nequeunt ad talem speciem reduci; sed cætera obiecta debent reduci ad obiectum attributionis, ergo talis species nequit esse obiectum attributionis. *Probat*ur maior, quia aliæ species oppositæ, quæ nō sunt partes, nec principia, nec causæ, nec effectus illius speciei, nequeunt ad ipsam reduci, v. g. ad hominem in *Physica* nequit reduci equus; nec ad demonstrationem in *Logica* syllogismus probabilis; nec ad perfectissimam speciem Angelicam in *Metaphysica* minus perfecta species, loquendo de reductione in ratione obiecti; cum enim sint species oppositæ & disparatæ, quarum vna non est aliquid spectans vlla ratione ad alteram, utraq; sine altera perfecte cognosci potest, & neutra potius reduci debet ad alteram, quam altera ad illam, nec apparet quomodo vlla ex illis ad alteram reduci posset.

*14. Dices cum Arriaga* vnam ex ipsis posse ad alteram, tanquam aliquid ipsi contrarium, reduci.

*Contra*: quia hac ratione etiam altera ad ipsam reduci posset: & præterea si ad scientiam, quæ habetur de vno contrario, spectaret per se scientia alterius contrarii, tum ad *pyhlicam*, in qua agitur de substantia materiali, pertineret agere de substantia spirituali.

*Dices*: ad *Metaphysicam*, quæ agit de ente reali tanquam de obiecto attributionis, spectat etiam agere de ente rationis, cum tamen ens rationis nihil habeat cum ente reali, nisi quod sit oppositum ipsi, & quod opposita iuxta se posita, vt dicitur, magis elucescant: ergo ad scientiam, quæ per se agit de vno contrario, potest spectare consideratio alterius contrarii.

*Respondeo*, capiendo *Metaphysicam* pro ea scientia, quæ habet pro obiecto attributionis ens reale, non spectare per se ad illam ens rationis; nec consequenter ad vllam scientiam, quæ est de aliquo tanquam obiecto attributionis, spectat per se agere de contrario ipsius, vt tale est præcisè.

*Et si quæras*, ad quam ergo scientiam spectat agere de ente rationis per se: *Respondeo* quod ad scientiam illam, quæ per se directe agit de ente rationis; dicitur autem illa scientia esse pars *Metaphysicæ*, quia solet dari à Magistris, quando dant *Metaphysicam*, & quia aliquo modo conducat ad cognitionem obiecti metaphysici.

Ex his sequitur quod perfectissimum obiectum ex

omnibus obiectis, quæ considerantur in scientia totali, non possit semper esse obiectum attributionis eius, quia illud debet esse aliqua species infima ex omnibus speciebus. *Fateretur* quidem *Arriaga n. 12.* perfectissimum obiectum non esse obiectum attributionis, sed minus consequenter, nam ipsemet in particulari postea semper assignat perfectissimum obiectum pro obiecto attributionis, vt in *Theologia Deum*; in *Physica hominem*; in *Logica demonstrationem*.

## CONCLUSIO II.

*15. Illud censendum est obiectum adæquatum seu attributionis in aliqua scientia, ad quod cætera obiecta per se considerata in scientia reducuntur, vel tanquam pars essentialis aut integralis, aut tanquam proprietates, aut accedens, vel ipsiusmet, vel alicuius ex ipsis speciebus.* Hæc conclusio in se videtur communis contra auctores impugnatos præcedenti conclusione. *Probat*ur tum quia Doctores communiter intelligunt per obiectum adæquatum & attributionis, quod est huiusmodi; tum quia huiusmodi obiectum habet omnes condiciones obiecti adæquati supra assignata; & præsertim illam, quæ principalissima est, nempe quod cætera obiecta ad ipsum referantur, quicquid enim est pars integralis, aut essentialis, aut proprietates, aut accedens, aut species alicuius, tanquam tale quid, ad ipsum reduci potest; omne enim tale est aliquid ipsius, seu ad ipsum spectans.

*Confirmatur*: quia nihil aliud assignari potest convenientius quam huiusmodi; si enim aliquid, maxime aliqua species infima; sed hoc non, vt patet ex conclusione præcedenti. Hinc patet, quando sunt plures species consideratæ in aliqua scientia, præsertim quarum neutra spectat ad alteram, tanquam pars ipsius, aut proprietates, aut causæ, aut effectus, aliquid ipsis communius debere esse obiectum attributionis.

*16. Obicitur primo*: Illud quod est magis commune quam species, potest optime reduci ad illas species, quæ quidem perfecta cognitio specierum nequeat haberi sine ipsius cognitione: ergo non potest esse obiectum attributionis, quia de ratione obiecti huiusmodi est, quod ipsum non possit reduci ad aliquod aliud obiectum.

*Confirmatur*: pars actualis tam *Physica*, quam *metaphysica* rei reducitur ad ipsam rem, quia res nequit esse absque illa parte, nec etiam perfecte cognosci; & hinc materia prima & forma *physica* reducuntur ad corpus *physicum*; sed quod est superius ad species, est pars *metaphysica* actualis, ergo ad ipsas debet reduci.

*Confirmatur secundo*: illud potius debet reduci ad aliud obiectum; cuius cognitio deseruit ad cognitionem alterius, quam cuius cognitio non deseruit: sed cognitio gradus superioris deseruit ad cognitionem inferioris; inferioris autem non ita deseruit ad cognitionem superioris: possum enim cognoscere distincte animal non cognoscendo hominem; sed non possum cognoscere hominem distincte, quin cognoscam animal: ergo superius debet potius reduci ad inferius, quam e contra.

*17. Respondeo* distinguendo antecedens: Potest reduci ad illas quatenus est pars specierum, & cognitio ipsius ad cognitionem specierum requiritur, concedo; potest reduci ad vllam ex ipsis tanquam ad obiectum attributionis, ad quod tam ipsum, quam cætera obiecta partialia istius scientiæ reducuntur, nego antecedens & consequentiam.

Ad cuius probationem dico quod illa conditio intelligenda est sic, quod obiectum attributionis non debeat potius ad aliud obiectum reduci tanquam ad obiectum attributionis, quam aliud ad ipsum.

*Ad primam confirmationem Respondeo*, distinguendo maiorem tanquam ad obiectum attributionis, si cætera obiecta pariter ad ipsum reduci nequeant, nego maiorem, si possint, concedo maiorem, & concessa minori, distinguo consequens, tanquam ad obiectum attributionis, modò cætera vicissim obiecta ad ipsum reduci nequeant, nego consequentiam; si possint, concedo consequentiam. Sed non est contra conclusionem, quæ dicit aliquid superius debere

Perfectissimum obiectum non est obiectum adæquatum.

Quodnam sit censendum obiectum attributionis.

Quomodo ens rationis spectat ad metaphysicam.

debere assignari pro obiecto, quando omnia obiecta nequeant reduci ad aliquod inferius contentum sub illo.

*Ad secundam confirmationem* Respondeo similiter distinguendo maiorem: tanquam ad obiectum attributionis, quando cætera obiecta ad ipsum reduci non possunt, nego maiorem; quando possunt, concedo maiorem; & concessa minori distinguo consequens: tanquam ad obiectum attributionis, nego consequentiam; alio modo, concedo consequentiam.

Itaque non ab hoc tantum habet aliquod obiectum esse attributionis respectu aliorum, quod cognitio aliorum omnium sit necessaria ad cognitionem ipsius, aut ipsius ad aliorum, sed quod cætera omnia spectant ad ipsum aliquo ex modis in conclusione specificatis, aut alio simili modo.

18. *Obiicies secundo:* secundum Doctorem q. 4. prologi vna ex conditionibus obiecti primi, hoc est adequati seu attributionis scientiæ totalis est, quod debeat continere virtualiter omnes & singulas veritates istius scientiæ, cuius est obiectum adequatum: sed certum videtur nullum commune posse continere virtualiter omnes veritates competentes speciebus sub se contentis; neque enim ens, ut sic, continet virtualiter veritates competentes homini, neque syllogismus aut modus sciendi ut sic veritates competentes demonstrationi.

*Hæc obiectio* non solum probat oppositum nostræ conclusionis, sed præterea nullum vnum obiectum posse esse obiectum attributionis, quia nullum prorsus vnum obiectum, quodcumque sit, continet virtualiter omnes veritates, quæ cognoscuntur de cæteris obiectis, ut patet. Itaque omnibus soluenda est, & fortassis qui non deferunt Scoti auctoritati, negarent maiorem, quæ in sensu obiectionis non facile potest probari.

*Respondent aliqui Scotista* Scotum loqui non de obiecto adequato scientiæ totalis, sed de obiecto specifico partis scientiæ totalis. Sed manifeste patet oppositum ex ipsamet littera.

Melior  
respon-  
sio.

*Respondetur ergo aliter*, quod obiectum adequatum, debeat continere virtualiter omnes veritates scientiæ cuius est obiectum, non secundum se & sua prædicata intrinseca, sed secundum se & omnia illa, quæ sunt ad ipsum reducibilia commode; unde idem est in re continere omnes veritates scientiæ, ac esse tale de quo tractat scientia, & ad quod omnia alia, quæ in scientia tractantur, commode reduci possunt, tanquam aliqua ipsius.

Quomo-  
do ob-  
iectum  
adequa-  
tum de-  
bet con-  
tinere  
omnes  
veritates  
scientiæ.

19. *Quod si quæras*, in quonam consistat hæc continetia virtualis? Respondeo quod non in hoc quod possit ipsummet obiectum adequatum causare realiter cum intellectu cognitionem aut scientiam, quæ habetur de ipso, quia potest contingere, ut obiectum sit rationis aliquando, quod non potest habere talem virtutem; sed consistit in hoc, quod obiectum contineat virtualiter suas proprietates metaphysicas, & cætera obiecta reducibilia ad ipsum contineant reliquas proprietates, quæ in scientia cognoscuntur; cum enim illæ proprietates sint, quæ cognoscuntur per scientiam, eo ipso, quo obiectum continet illas veritates, potest dici continere omnes veritates obiectiuas, veritates enim obiectiuas, quæ cognoscuntur in scientia, sunt, quod illæ proprietates conveniant istis obiectis. Posset etiam dici quod obiectum contineret ipsamet scientiam virtualiter, quatenus licet non secundum se, mediante tamen specie representatiua ipsius potest causare cum intellectu illam scientiam.

Tota resolutio huius quæstionis magis patebit per dicenda quæstione sequenti.

#### ADDITIO.

*Mastrius disp. 1. Met. n. 47. §. posset hic fieri*, asserit explicationem Scoti à me adductam hac quæst. n. 18. esse directe contra intentionem ipsius, nam explicans particulas *primo virtualiter*, ait idem id esse, ac continere independentem ab aliis in scientia consideratis secundum suam rationem adequate ac præcise.

*Sed hæc verba* Scoti non præiudicant meæ expositioni: sensus enim illorum verborum est, quod obiectum,

de quo agit, & quod ego dico esse adequatum, debeat secundum se & omnia per se reducibilia ad ipsum continere omnes veritates scientiæ independentem ab omnibus aliis obiectis quæ considerari solent in scientiis totalibus per accedens; & quod nullum aliud obiectum per accedens consideratum in scientia possit illas continere independentem ab obiecto adequato.

Confir-  
matur  
explica-  
tio Scoti  
de ob-  
iecto ad-  
equato.

*Quod ut melius intelligatur*, advertendum in omnibus scientiis totalibus, multa proponi & doceri, quæ per se ad illas non spectant. Sic in logica agitur de ente rationis, ac de decem prædicamentis in particulari; in Medicina agitur de multis obiectis Physicis; in Physica ac Theologia de multis obiectis Metaphysicis, & in ipsa Metaphysica, ut à multis traditur de variis obiectis Physicis, quod sit aliquando mere per accedens, ac per transcendens, ut aiunt, non vero ad maiorem aut perfectiorem cognitionem obiectorum per se considerandorum, aliquando vero sit in ordine ad perfectiorem eorum cognitionem habendam. Voluit ergo Doctor quod quamvis hæc obiecta aliena conducere possint ad habendam cognitionem obiecti per se, non tamen ita ut per se possint sufficere absque ipsismet obiectis per se, seu absque obiecto adequato & aliis per se ad ipsum reducibilibus; cum tamen obiectum adequatum, & alia ad ipsum per se reducibilia possint sufficere ad habendas omnes cognitiones per se spectantes ad scientiam independentem ab aliis omnibus obiectis per accedens in scientia consideratis.

*Quod autem* non loquatur Scotus de obiecto specifico contradistincto ab obiecto adequato videtur satis apparere, quia agebat de obiecto adequato totius Theologiæ, quæ est cognitio totalis plurimas diversissimæ rationis veritates continens, quas nullum vnum specie obiectum secundum se præcise, quatenus cognoscitur à nobis pro hoc statu, posset causare; & in ordine ad hoc præsupponere voluit quid esset obiectum adequatum scientiæ totalis ut sic, unde non est verisimile quod loquatur de obiecto specifico tantum, ut vult Mastrius & alij etiam Scotista.

*Adde si possit* Scotus intelligi commode de obiecto adequato scientiæ totalis ut sic, id melius esse, quia magis erat ad scopum ipsi propositum, quam restringere ipsum ad obiectum specificum, ut opponitur obiecto adequato scientiæ totalis: sed potest sine dubio, si explicetur, ut ego explicui ipsum; nec in hoc est vlla inconuenientia: ergo mea expositio amplectenda est; nec censenda est tam directe contra Scotum, quam gratis asserit Mastrius.

#### QVÆSTIO III.

*De obiecto adequato seu attributionis Logicæ.*

20. *MA*ioris claritatis gratia, in hac quæstione, applicanda videbatur doctrina præcedentis quæstionis de obiecto Logicæ, & simul eadem doctrina vterius confirmanda. Sensus autem quæstionis, pro ut hic proponitur, est quodnam ex pluribus obiectis, de quibus agit Logica, sit sentiendum obiectum adequatum eius; v. g. in Logica agitur de termino, de propositione, de nomine, de verbo, de definitione, de diuisione, de syllogismo ut sic, de syllogismo probabili, de syllogismo demonstratiuo, de syllogismo falsigrapho, seu, male concludente. Quæritur ergo hic, quodnam ex his sit obiectum adequatum Logicæ.

De quo plurimæ sunt sententiæ; aliqui enim, ut *Hurtadus & Arriaga*, putant demonstrationem esse obiectum adequatum, seu attributionis Logicæ; alij modum sciendi, ut cõplectitur definitionem, diuisionem, & syllogismum; alij syllogismum ut sic, cõmunem omni syllogismo; alij orationem; alij argumentum, ut est quid cõmune ad syllogismum, enthymema, inductionem; alij denique distinguunt de Logica, & dicunt posse considerari Logicam, quatenus tradita est à Philosopho in libris Prædicamentorum, Perihermenias, Priorum, Posteriorum, Topicorum, Elenchorum, & hoc modo dicunt syllogismum ut sic, esse obiectum adequatum eius; alio modo dicunt posse considerari Logicam ut posset tradi cõplete quantum ad omnia, quæ possent cõducere ad cognoscendas res bene.

Varie  
sententiæ.

& absq; errore, & ut sic existimant nō syllogismū ut sic, sed modum sciendi esse obiectum Logicæ. Hanc sententia tenent multi Scotistæ, & iuxta eam explicant contradictionem quam Scotus videtur habere. 7. 3. *universalium* ubi asserit syllogismum esse obiectum adæquatum Logicæ; lib. 1. vero Priorum 9. 2. tenet non syllogismum, sed modum sciendi esse obiectum adæquatum Logicæ: existimant enim Scotum primo loco assignasse Logicæ obiectum adæquatum, prout tradita est à Philosopho, secundo vero loco assignasse ipsi obiectum adæquatum, nō prout tradita est à Philosopho, sed prout tradi posset ex natura sua. Et sane multo melius recurritur ad hanc expositionem, quam diceretur cum *Fabro* propter illam contradictionem vitandā, quod Scotus non esset author librorum Priorum absque vllō fundamento alio.

## CONCLUSIO.

1.1. *Logica secundum se absolute secundum quod tradi potest de omnibus quæ conducere possent ad hoc, ut aliquis non erret in discurrendo aut colligendo ex noto ignotum, habet pro obiecto adæquatum modum sciendi ut sic; secundum vero quod tradita est à Philosopho in libris, qui ad nos pervenerunt, habet pro obiecto adæquatum syllogismum ut sic.* Hæc est iuxta ultimam sententiam quam tenet expresse. *Merineus* qu. 4. *premissis* sec. 2. *Rodriguez* 9. 3. art. 1. *Maffius* & *Scotus* recentiores communiter. *Probat* autem prima pars, quia omnes conditiones obiecti adæquati competunt in modo sciendi ut sic, respectu Logicæ, secundū quod complete tradi posset, habet enim suam definitionem, & consequenter etiam proprietates per definitionem demonstrabiles: & præterea, cum contineat sub se syllogismum ac demonstrationem, erit maxime late patens ex obiectis à Logica considerabilibus: ergo erit obiectum adæquatum eius. Consequentia patet ex dictis articulo præcedenti, in quo ostensum est maxime late patens obiectum debere censei obiectum adæquatum, si aliquod vnum sit assignandum.

Logica secundum se habet pro obiecto adæquatum modum sciendi.

Syllogismū vero ut traditur à Philosopho.

2.2. *Confirmatur*: quia nullum aliud obiectum vnum potest assignare, quod potius debeat dici adæquatum Logicæ: ergo illud est assignandum. *Probat* antecedens, quia si aliquid, maxime syllogismus ut sic, aut demonstrationis syllogismus: sed neutrum ex his tam commode assignari potest, ergo. *Probat* minor, quia syllogismus, ut sic, non continet sub se modum sciendi, ut sic, quod est superius ad ipsum, nec demonstratio continet sub se syllogismum, ut sic: ergo nec syllogismus ut sic, nec demonstratio potest esse obiectum adæquatum Logicæ tractantis de modo sciendi ut sic.

*Confirmatur* secundo: quia in cæteris scientiis maxime comune, nisi aliquid speciale obstat, assignatur pro obiecto adæquato ab illis, qui aliquod vnum obiectum assignare solent, ut in *Metaphysica* ens ut sic; in *physica* corpus naturale ut sic; in *Arithmetica* numerus ut sic; ergo in *Logica* etiam maxime comune, quod non impeditur ratione aliqua particulari, assignari debet pro obiecto adæquato; sed illud est modus sciendi ut sic, ergo &c.

*Confirmatur* tertio: quia *Logica* agit de definitione ac divisione; sed hæc non comprehenduntur sub syllogismo, nec sub demonstratione: comprehenduntur autem sub modo sciendi ut sic, ergo quandoquidem obiectum adæquatum debeat comprehendere omnia obiecta alia scientiæ, modus sciendi potius est obiectum adæquatum Logicæ, quam syllogismus aut demonstratio.

2.3. *Dices* definitionem, & divisionem contineri sub syllogismo, quatenus scilicet divisio est conducent ad habendam definitionem rei, & definitio est conducent ad confectionem demonstrationis, cuius medium solet plerumque esse definitio rei.

*Contra*: quia licet reuera possint sub illa ratione comprehendere, sub syllogismo ut sic, tamen quia non solum debent considerari, quatenus conducent ad demonstrationem, sed etiam secundum se independentem ad demonstrationem, non debet dici quod gratia demonstrationis potius considerentur in *Logica*, quam gratia sui, & consequenter non debent dici considerari in *Logica*, ut ordinantur ad demonstrationem.

Definitio, & divisio non solum considerantur in Logica quatenus conducent ad syllogismum.

*Confirmatur* hoc: quia etiam si demonstratio esset impossibilis, adhuc dari posset scientia de modo sciendi, & de definitione, ac divisione, & illa scientia optime posset vocari *Logica*: sed in tali casu non consideraretur *Logica* definitione, ac divisionem gratia demonstrationis: ergo neque iam. *Probat*ur consequentia, quia iam habent illam rationem, quam tñ habent, licet non solum, quia iā ulterius habent conducentiam ad demonstrationem, quam tam non haberent, in hypothese scilicet, quod demonstratio esset impossibilis: ergo si tñ essent considerabiles à *Logica* gratia sui, etiam iam sunt sic considerabiles.

*Probat*ur secunda pars conclusionis, quia in *Logica* Aristotelis comprehensa in libris ad nos devolutis, non definitur modus, seu instrumentum sciendi ut sic, nec aliquid demonstratur de ipso: ergo non est obiectum adæquatum *Logica*, ut sic considerata: quia de ratione obiecti adæquati est quod definiatur in scientia, & aliquid de ipso demonstretur: sed ex suppositione quod modus sciendi non sit obiectum adæquatum, nihil aliud assignari potius debet, quam syllogismus ut sic, quandoquidem cætera omnia comprehendat, & definiatur, ac plures proprietates de ipso demonstrantur in libris Priorum.

*Dices* orationem esse magis late patentem quam syllogismum, syllogismus enim omnis est oratio, sed nō omnis oratio est syllogismus, ergo quandoquidem de oratione agatur in *Logica* Aristotelica, potius oratio quam syllogismus est obiectum adæquatum *Logica* Aristotelica, hoc est *Logica* prout de facto tradita est ab Aristotele.

*Respondetur* negando consequentiam, & ratio est, quia non agitur in *Logica* de oratione ut est quid commune ad syllogismum, sed ut est pars integralis ipsius, unde si syllogismus non esset conficiendus ex propositionibus, & hæc non essent orationes, nequaquam consideraretur *Logica* orationem, quantumvis oratio esset adhuc quid superius ad syllogismum.

*Confirmatur*, quia certum est in *Logica* non agi de aliquo nisi de modo, aut instrumento sciendi, aut conducentibus ad instrumentum sciendi: sed oratio ut sic, quæ traditur in *Logica* Aristotelis, non est modus aut instrumentum sciendi, ergo eatenus de ea agitur in *Logica*, quatenus conduit ad conficiendum aliquod instrumentum sciendi, & consequenter ipsa potius debet reduci ad instrumentum sciendi, quam e contra.

2.4. *Itaque non omne*, quod est latius patens debet poni obiectum adæquatum scientiæ, sed illud quod est latius patens, & ut sic consideratur per se à scientia: colligi autem poterit quod aliquid, ut latius patens quam aliud, consideratur in scientia, si reperiatur contineri sub se aliquas species, quæ in illa scientia considerantur sine ordine ad illud alterum, quod est minus late patens, v.g. colligi bene potest quod agatur in *Metaphysica* de ente, ut est latius patens quam *Deus*, quia continet sub se alias species, nimirum substantias creatas, quæ essent considerabiles à *Metaphysica* sine ordine ad *Deū*, hoc est gratia sui & nō gratia Dei; colligi etiam potest quod *Logica* agat de syllogismo ut sic, ut est latius patens quam demonstratio, quia continet sub se alias species, nimirum syllogismum topicū, qui esset considerabilis à *Logica* sine ordine ad syllogismum demonstratiū. Si ergo *Logica* Aristotelica agat de oratione, ut est magis late patens quā syllogismus, oportet eam comprehendere sub se aliquam speciem consideratā etiam à *Logica* Aristotelica, quæ species non consideratur in illa *Logica* gratia syllogismi; sed non comprehendit ullam talem speciem, ergo non agitur per se de oratione in *Logica* Aristotelica, ut est quid communius, & magis late patens quam syllogismus.

2.5. *Adde* quod ex alio capite possit excludi oratio definita in *Logica* Aristotelis, & secundum se communius, & magis late patens, quā syllogismus, ab obiecto adæquato *Logica*, quia oratio ut sic comprehendit sub se orationem grammaticam, & rhetoricam, quæ nō sunt considerationis *Logica*: ergo ratio ut sic, nō potest esse obiectum adæquatum *Logica*. *Probat*ur consequentia, quia illud non est obiectum adæquatum scientiæ, quod excedit ipsam, hoc est

Relictur. Cur oratio non sit obiectum adæquatum *Logica*.

Non omne latius patens debet esse obiectum adæquatum.

est quod continet in se aliquid quod non consideratur ab illa scientia: sed oratio grammatica & rhetorica non consideratur à Logica; ergo oratio ut sic continet illas orationes sub se non potest esse obiectum adequatum Logicae.

Hoc ipsum argumentum de oratione posset proponi etiam contra primam partem conclusionis, quia oratio est quid communius ad modum sciendi: omnis enim modus sciendi est oratio, & non è contra. Sed facilis est responsio ex dictis, quia non consideratur à Logica per se, ut est quid communius, propter iam dicta.

26. *Obiicies ulterius contra primam partem:* non datur ullus modus, seu instrumentum sciendi præter demonstrationem, ergo potius demonstratio est obiectum adequatum quam aliquid communius ipso. Probatur antecedens, quia per solam demonstrationem potest quis acquirere scientiam, unde & definiri solet syllogismus faciens scire.

*Respondetur* distinguendo antecedens: non datur ullus modus sciendi, scientia rigore accepta, pro cognitione habita per demonstrationem, concedo; scientia late accepta pro quacunque cognitione, per quam de nouo cognoscitur res ignota, nego antecedens, & consequentiam, quia quando dicitur quod Logica sit ars tractans de modo sciendi, non loquimur de modo sciendi strictè, sed large.

Obiectio  
contra se-  
cundam  
partem.

27. *Obiicies primo contra secundam partem:* de syllogismo non potest haberi scientia, ergo nequit esse obiectum Logicae; quæ ut suppono ex dicendis, est scientia. Probatur antecedens, quia non potest haberi scientia nisi per syllogismum: ergo si de syllogismo haberetur scientia, illud esset mediante alio syllogismo: sed hoc nequit fieri, quia vel syllogismus, per quem haberetur scientia, esset notus, vel ignotus, si ignotus, non posset haberi per ipsum notitia alius; si notus, ergo per alium syllogismum; & sic in infinitum. Hæc obiectio proponi posset contra statuentes demonstrationem esse obiectum adequatum Logicae, imo, & contra ponentes modum sciendi ut sic, esse obiectum adequatum; quia de modo sciendi non potest haberi scientia nisi per modum sciendi, qui vel sit ignotus, aut notus; si ignotus, ergo per eum non habetur scientia; si notus, ergo per alium modum sciendi, & sic in infinitum.

28. *Respondetur* autem negando antecedens, & subsumptum probationis, ad cuius ulteriorem probationem dicendum, quod syllogismus ille, per quem de syllogismo ut sic, habetur scientia, sit seipso notus, quia ex terminis apparet conclusionem ipsius sequi ex præmissis, nec debet esse notus per alium syllogismum, sicut nec notitia, quæ habetur de ipso, debet esse discursiva. Itaque per syllogismum particularem actualiter factum ab intellectu, cuius conclusio est, quod syllogismus ut sic habeat talem vel talem proprietatem, cognoscitur de syllogismo ut sic, talis proprietates, quæ proprietates licet conveniant etiam syllogismo illi particulari, non tamen per illum syllogismum particularem cognoscitur formaliter, & directe sibi ipsi competere. Ille autem syllogismus in particulari, per quem cognoscitur illa proprietates competere syllogismo, ut sic, est notus intellectui quantum ad concludendum recte seipso, nec est necesse ut alius syllogismus adhibeatur, quo sciatur quod recte concludatur.

Obiectio  
secunda.

29. *Obiicies secundò contra eandem partem:* idem obiectum non potest esse adequatum obiectum partis scientiæ, & totius scientiæ: sed syllogismus ut sic, est obiectum partis Logicae v.g. librorum Priorum: ergo nequit esse obiectum totius Logicae, etiam ut tradita est à Philosopho. Probatur maior, quia eo ipso, quo esset obiectum adequatum totius scientiæ, excederet partem scientiæ, & consequenter non esset adequatum parti. Hæc etiam obiectio militat contra primam partem conclusionis & contra quancunque sententiam, quæ statueret aliquid vni ex multis obiectis Logicae pro obiecto adequato eius, nam, de quocunque vno obiecto agitur in aliqua parte scientiæ, est obiectum istius partis, unde si nequit idè esse obiectum totius scientiæ & partis, nequit ullum vnum obiectum esse adequatum obiectum totius scientiæ.

*Respondetur* ergo ab obiectionem negando maiorem, ad cuius probationem dicendum, quod illud obiectum, quod est adequatum parti, potest excedere illam partem

quantum ad hoc, quod aliquid possit considerari ad ipsum spectans in aliis partibus, quod non consideratur in illa parte, nec dicitur adequatum parti, quatenus in parte illa omnia, quæ ad ipsum spectant, considerantur, sed quatenus omnes proprietates de ipsomet secundum se considerabiles in illa parte traduntur.

*Potest etiam responderi aliter* distinguendo maiorem: idem nequit esse obiectum adequatum parti & toti scientiæ eadè ratione, concedo maiorem, diversa ratione, nego maiorem, distinguendo etiam minorem: sed syllogismus est obiectum adequatum partis Logicae sub illa ratione, sub qua dicitur adequatum toti, nego minorem; sub alia ratione, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque syllogismus dicitur esse obiectum librorum Priorum, quatenus omnia considerabilia de ipso syllogismo ut sic, & omnes proprietates ipsi convenientes in illis libris tractantur; non sic autè dicitur obiectum adequatum totius Logicae, sed quatenus in tota Logica non solum traduntur istæ proprietates convenientes ipsimet immediate, sed etiam omnia alia tractantur, quæ ad ipsum spectant aliquo modo, & nihil prætere. Hæc est responsio ipsimet Doctoris ad hanc obiectionem.

30. *Obiicies tertio:* de syllogismo nequit esse scientia, quia non est quid necessarium, quandoquidem contingenter producatur, & posset nullo modo produci; obiectum autem scientiæ debeat esse quid necessarium: ergo non potest esse obiectum Logicae, quæ est scientia. Hæc quoque obiectio militat contra quancunque sententiam, quæ esset de obiecto Logicae.

*Respondetur* autem negando antecedens, ad cuius probationem dico obiectum scientiæ debere esse necessarium, non quoad existentiam, quandoquidem per scientiam non cognoscatur existentia de ipso, sed quoad connexionem quam habet illud obiectum cum prædicato quod scitur de ipso; sic autem est necessarius syllogismus v.g. de homine scitur, quod sit risibilis, unde homo, qui est obiectum incomplezum istius scientiæ, non debet esse necessario existens, sed bene debet habere necessariam connexionem cum risibilitate, ita ut non possit existere quin sit risibilis, & aliam necessitatem non debet habere: unde quandoquidem syllogismus, licet non necessario existat, habeat tamen necessariam connexionem cum quacunque proprietate, quæ scitur de ipso, ita ut non possit existere, quin habeat talem proprietatem, optime potest esse obiectum scientiæ.

#### QVÆSTIO IV.

De quonam syllogismo agit Logica.

31. *Am diximus* Logicam agere de syllogismo, tanquam de suo per se obiecto, sicut etiam agit de definitione, diuisione, & syllogismo demonstratiuo, nec de hoc aliquis dubitat, quamvis sit controversia an syllogismus sit obiectum adequatum eius: sed quia triplex est syllogismus, vnus mentalis & formalis, qui consistit in tribus iudiciis intellectus, quibus iudicat tres propositiones aliquas taliter dispositas, ut veritas vnus sequatur ex veritate aliarum duarum; ut si quis iudicaret omnè hominè esse animal, & Petrum esse hominè, & propterea Petrū esse animal. Alius syllogismus est obiectiuus, & consistit in tribus propositionibus illis, quæ sunt obiecta istorum trium iudiciorum, ut v.g. omnis homo est animal. Petrus est homo, ergo Petrus est animal. Tertius denique syllogismus vocatur vocalis, & consistit in tribus propositionibus vocalibus aut scriptis, quæ significant aut syllogismum formalem aut obiectiuum, perinde est quantum ad propositum, hinc oritur difficultas, de quonam ex his syllogismis agit Logica per se: dico autem per se, quia aliquo modo potest dici agere de omnibus illis, sed per se tantum & principaliter videtur debere agere de aliquo vno ex illis, & per accidens tantum de reliquis.

32. *Aduertendum autem* quod ex resolutione difficultatis huius dependet illa questio, quæ comuniter hic proponi solet: an Logica agat de vocibus, an de rebus, an vero de operationibus intellectus; nam si agat per se de syllogismo vocali ac definitione, aut diuisione vocali, certum est quod per se agat de vocibus; si vero agat per se de syllo-

Quomodo potest obiectum idè esse adequatum parti toti.

Quomodo obiectum scientiæ debet esse necessarium.

sylogismo formali mentali, nō minus certum est quod per se agat de operationibus intellectus, ex quibus coalescit syllogismus formalis; si vero deniq; agat de syllogismo obiectiuo, tum non minus certum est quod agat de rebus, ex quibus fit syllogismus obiectiuus.

Aduertendū vltcrius quod voces & operationes intellectus possint cōsiderari dupliciter, vno modo quatenus res quædā sunt definibiles, subiicibiles, prædicabiles nō minus quā cæteræ res, & hoc modo absque cōtrouersia eodē modo agat de ipsis Logica, quo de cæteris quibuscūque rebus, alio modo possunt cōsiderari vt supponunt pro rebus, quia enim, vt bene Philosophus, non possumus res ipsas, dū de iis discurremus, ad scholas adducere, earumque naturas ostendere, earū loco substitui- mus voces & signa. Ad colligendum autem quonam ex his modis accipiat vox, vel conceptus formalis mētis cōsiderandum erit, vtrum prædicatū, quod de voce vel conceptu dicitur, cōueniat ipsimet voci, aut operationi vel conceptui secundum se; an verō cōueniat rei significatæ per vocē, aut conceptum. Si cōueniat operationi, aut voci secundū se, tum vox & conceptus accipiuntur vt res quædam sunt, & non vt voces, seu conceptus, hoc est; nō vt supponunt pro aliis rebus, & hoc est quod volunt Summulistæ significare per suppositionē materialē, dicentes quod voces sic acceptæ supponant materialiter. Si verō cōueniat ipsis non secundum se, sed secundū quod supponunt pro aliis rebus; tum accipiuntur vt voces & conceptus, non vero vt res, & dicuntur à Summulistis supponere formaliter non materialiter.

33. Hinc patet, quādo dicitur quod vox homo sit dissylaba, accipi vocem *homo*, prout res est, & eam supponere materialiter, & idem est dicendum quādo dicitur quod conceptus formalis, quo aliquis concipit hominem, sit qualitas, aut actus intellectus, dicendum inquā est quod supponat materialiter, & quod accipiatur vt res, nō vero vt conceptus. Quando vero dicitur quod homo sit animal, quia voci *homo* non cōuenit esse animal ex se, sed solum dicitur de illa voce quod sit animal, vt supponit pro re significata per illam vocem, sequitur quod supponat formaliter, & quod non accipiatur vt res, sed vt vox *homo*.

*Prima sententia* tenet Logicam per se agere de syllogismo vocali, & aliis consequenter modis, sciendi vocalibus: Hæc tribuitur *Nominalibus*, sed quidquid sit de aliis, certe eorum Princeps, noster *Occamus* non ita sentit, expresse enim oppositum tenet, & in *proæmio Logicae*, & in 1. dist. 1. q. 8.

*Secunda sententia* satis frequens inter modernos ait, Logicam agere per se de syllogismo formali ac cæteris instrumentis formalibus sciendi, & consequenter eam agere de operationibus intellectus. Ita *Hurtadus* disp. 1. Log. sect. 3. *Ruvius* q. 6. *proæmiali Auerſa* q. 2. sect. 5.

*Tertia sententia*, eaque communissima inter Thomistas, ac Scotistas Logicam per se principaliter agere de syllogismo obiectiuo, atque adeo eam versari circa res omnes tanquam, circa obiectum materiale, quod denominatur immediate à secunda intentione, quæ secundum ipsos est obiectum formale eius. Ita *Ioann. à S. Th.* q. 1. art. 3. *Merinerus* q. 4. *proæm. sect. 4.*

## CONCLUSIO I.

34. Logica non agit per se de syllogismo vocali, aut vlla voce vt vox est, nec quoad se totam, nec quoad vllam sin partem. Hæc est communis omnium cōtra primam sententiam. Probatur cōmuni fundamento; quia Logica quoad omnes suas partes haberi posset, si voces essent impossibiles, sed hoc est falsum si essent per se obiectum aut totius Logicae, aut vllius partis eius, quia nulla scientia potest haberi sine obiecto per se eius; ergo Logica non agit de syllogismo vocali per se, aut vlla voce, vt vox est. Probatur maior, quia licet voces essent impossibiles, potuissēmus definire, diuidere, enunciare vnum de aliis, cōsiderare aliquid per modū subiecti & prædicati, discurre- re tā probabiliter, quā demonstratiue, & cognoscere modum & viā hæc omnia faciēdi absque errore: sed nihil aliud cōsideratur per se in Logica tota, aut vlla eius

parte, quā hæc, aut quæ ad hæc per se conducunt, vt patet, ergo etiam si voces essent impossibiles, haberetur Logica quoad omnes suas partes.

Confirmari potest hæc conclusio per probationes sequentis conclusionis.

35. *Fundamentum opposita sententia* est, quod Logica agat per se de termino vocali significatiuo ad placitum, & de oratione vocali constante plurimis huiusmodi terminis, & de syllogismo constante pluribus propositionibus vocalibus, ergo agit per se de vocibus.

*Confirmatur*: quia non est maior ratio quod daretur scientia Grammatica de vocibus in ordine ad congrue loquendum, & scientia Rhetorica in ordine ad ornate & copiose loquendum, quā quod daretur scientia Logica de iisdem in ordine ad inferendum bene ignotum ex noto, aut vnam cognitionem ex alia.

*Confirmatur secundo*: quia vocatur scientia sermocinallis, ergo agit de sermone per se, & consequenter de vocibus.

*Respondetur* negando antecedens, quamuis enim agatur in Logica de termino, propositione, & syllogismo vocali, hoc tamen ideo fit, quia vtuntur illis loco rerum, quas significant, quod est mere per accidens agere de ipsis. Adde etiam in Logica agi de ente rationis vt sic, & de decem prædicamentis, quorum cōsideratio pertinet ad Metaphysicam per se; ergo non sequitur quod agatur per se in Logica de syllogismo vocali, quamuis reuera in Logica agatur de ipso.

36. Pro meliori autem huius rei intelligentia aduertēdum est quod quemadmodū, qui tractant de cōstitutionibus & motibus cælorum, faciunt sibi spherā materialem ad illum modum, quo cælos inter se dispositos esse existimant, & de partibus illius earumque motibus discurrent, pro faciliiori discendum capru, supponentes illam materialem structuram pro veris cælis, de quibus per se agunt; ita etiam Philosophus, Porphyrius, & alij Authores agentes de syllogismo obiectiuo eiusque speciebus ac partibus, supposuerint pro eo syllogismum vocalem, ac partes eius, deque eo discurrerint, vt sic clarius, quæ esset natura syllogismi obiectiuo, & quomodo cōficiendus esset, tyronibus innotesceret. Vnde patet quod, vt nemo diceret scientiæ agentis de cælo obiectum per se esse spheram materialem, sed tantum per accidens, ita non debeat dicere obiectum per se Logicae esse syllogismum vocalem, licet vtatur eo, supponendo ipsum pro syllogismo obiectiuo.

*Ad primam confirmationem respondetur* negando consequentiā, quia eo ipso quo quis cognoscit modū discurrendi mentaliter, seu inferendi notum ex ignoto, cognoscit etiam facile, quomodo discurrendū sit vocaliter, cognita per Grammaticam significatione vocum & modo loquendi cōgrue, vnde non debet esse vlla scientia, quæ agat per se de vocibus in ordine ad cōgrue discurrendū.

*Ad secundam confirmationem respondetur* distinguendo primū consequens, de sermone vocali, nego: de formali, vel obiectiuo, transeat, & negatur secunda cōsequentia.

*Responderi etiam posset secundo* negando primam consequentiam, quia optime posset desumere denominationē à sermone vocali, quamuis per accidens ageret de ipso.

## CONCLUSIO II.

37. Logica agit per se de syllogismo obiectiuo & consequenter agit de rebus omnibus secundum quod nata sunt cō-  
stitueri syllogismum obiectiuum & alia instrumenta sciendi. Hæc est iuxta tertiam sententiam contra authores primæ & secundæ sententiæ. Probatur autem, quia agit per se de illo syllogismo, qui cōponitur ex propositionibus, de quibus per se agit, sed agit de propositionibus obiectiuis; ergo & de syllogismo obiectiuo. Probatur minor quia agit per se de propositionibus, quæ cōponuntur ex terminis, de quibus per se agit, sed agit per se de terminis obiectiuis, agit enim per se de genere, differentia, proprio, accidente, qui sunt termini obiectiuo.

*Confirmatur*: quia agit Logica sine dubio per se de syllogismo, in quo ponitur maior & minor extremitas & medium, & in quo ex cōnexionē tali, vel tali maioris & minoris

Logica agit per se de syllogismo obiectiuo. Probatio secunda.

Logica non agit per se de syllogismo vocali. Probatur.

minoris extremitatis cum medio infertur connexio illarum inter se: sed syllogismus obiectiuus est huiusmodi syllogismus, ergo in Logica agitur per se de syllogismo obiectiuo.

38. *Probatur secundo* quia aliqua scientia potest per se agere de syllogismo obiectiuo, & tradere præcepta, quibus conceptus obiectiuus possint ita ordinari inter se ut efficiant syllogismum obiectiuum bonum, & demonstrare quod conclusio syllogismi obiectiuus sit vera, si præmissæ sint veræ; sed nulla potius quam Logica: ergo Logica agit per se de syllogismo obiectiuo.

*Probatur tertio*: quia Ethica, quæ est scientia directiua operationum voluntatis, & ostendens quænam operationes voluntatis sint bonæ, quænam malæ, agit per se de obiectis, circa quæ versantur istæ operationes: ergo similiter Logica, quæ communiter supponitur esse scientia directiua operationum intellectus, debet agere de obiectis istarum operationum: sed obiecta operationum intellectus, quibus efficiunt syllogismi formales, sunt syllogismi obiectiuus, ergo Logica agit de syllogismo obiectiuo per se.

*Confirmatur*, quia sicut dependet actio virtuosa à tali vel tali obiecto: ita etiam dependet syllogismus formalis bonus à tali vel tali syllogismo, obiectiuo: ergo quemadmodum Ethica agit de obiecto actionis bonæ propter dependentiam actionis bonæ ab ipso, similiter Logica agit per se de syllogismo obiectiuo propter dependentiam syllogismi formalis ab ipso.

39. *Obicitur*, si Logica ageret per se de rebus, dirigeret res ipsas, & sic esset præfecta stabuli, aut bubulcus, aut opilio, quod est absurdum. Propono obiectionem ridiculam ex *Arriaga*, qui sæpius ridiculum se exhibet in similibus obiectionibus, quamuis alias author sit satis doctus.

*Respondeo* concedendo primam sequelam, & negando secundam, quia dirigere res proponendo ipsas intellectui tali vel tali modo, non est dirigere ipsas in stabulo, aut campo &c. sed nec lubet in ridicula obiectione diutius hære.

## CONCLUSIO III.

Logica  
de syllo-  
gismo  
formali  
per se  
agit.

40. *Logica etiam agit per se de syllogismo formali, & de cæteris modis seu instrumentis sciendi formalibus, & consequenter agit de operationibus intellectus* Hæc est conformis authoribus secundæ sententiæ, & videtur mihi esse iuxta mentem Antiquorum, & Scoti præsertim, qui cum resoluunt Logicam agere de syllogismo, definitione, diuisione &c. nec determinent in particulari, de quo syllogismo, aut definitione, aut diuisione id intelligant, intelligendi sunt de utroque syllogismo tam obiectiuo quam formali indifferenter, alias diminute procederent, dum non determinarent se in particulari.

*Probatur autem primo*, quia scientia, quæ agit de beatitudine, agit per se de beatitudine formali & obiectiua; & scientia, quæ agit de actibus humanis, agit non solum de obiectis istarum actionum, sed de ipsis actibus: ergo à pari, scientia, quæ agit de syllogismo, agit per se de syllogismo formali & obiectiuo.

*Probatur secundo*: quia definitio syllogismi tradita in Logica potest accommodari tam syllogismo formali quam obiectiuo: ergo signum est, quod de utroque agat. Probatur antecedens, quia quando dicitur, quod syllogismus sit oratio, in qua quibusdam positis aliud quid ab his, quæ posita sunt, necessario sequitur, id potest intelligi de oratione formali, & sic accommodabitur syllogismo formali, vel de oratione obiectiua, & sic accommodabitur syllogismo obiectiuo.

41. *Probatur tertio*: quia finis Logicae est vel cognoscere naturam boni discursus, vel tradere præcepta, quibus possit fieri bonus discursus; sed uterque finis potest acquiri agendo de syllogismo formali non minus quam agendo de obiectiuo; ergo non minus agit per se Logica de obiectiuo, quam de formali. Probatur minor, quia si quis cognoscat illum syllogismum formalem esse bonum, cuius prima propositio formalis sit, qua aliquid prædicetur vniuersaliter de aliquo, & cuius secunda propositio sit iudiciu, quo illud ipsu, de quo prædicatur

vniuersaliter in prima propositione, prædicatur vniuersaliter de alio, & cuius tertia propositio sit iudiciu, quo illud, quod prædicabatur vniuersaliter in vna propositione ex duabus primis prædicetur vniuersaliter de eo, quod subiiciebatur in altera propositione, ille talis optime cognoscat modum discurrendi bene in *Barbara*, & poterit cognoscere omnem discursum talem esse bonum: ergo cognoscendo naturam syllogismi formalis poterit quis discurre bene.

Dices non posse quem cognoscere syllogismum formalem talem, quin cognoscat obiectiuum; ergo potius agit Logica de obiectiuo.

*Respondeo* negando consequentiam, quia inde solum sequitur quod debeat agere de utroque syllogismo, sicut ex eo, quod scientia agens de beatitudine non possit considerare beatitudinem formalem, quin cognoscat obiectiuam, tamen non propterea dicitur agere de sola beatitudine obiectiua, sed de vtraque.

Dices non posse vnam scientiam agere per se de duobus obiectis, tanquam de adequatis.

*Respondeo* negando sequelam, quando illa duo obiecta sunt subordinata sibi inuicem, ita ut vnum se habeat per modum actus, & alterum per modum obiecti talis actus, imo vniuersaliter supponi videtur ab authoribus quod scientia quæ habetur de actu aliquo intellectus aut voluntatis, sit de actu cum ordine ad tale obiectum, nam communissime supponitur quod actus specificetur ab obiecto, hoc est quod per ordinem ad obiectum cognoscatur natura ipsius, ut distinguitur ab aliis actibus, ergo scientia, quæ considerat ipsum, considerat obiectum eius, & consequenter illa scientia habet pro obiecto vtrumque, & actum & obiectum, quandoquidem illa scientia respiciat vtrumque, respicit enim actum cum ordine ad obiectum.

Per hæc patet ad fundamenta secundæ & tertiæ sententiæ, nam concedimus cum secundæ, quod agat Logica de syllogismo formali, & cum tertiæ sententiæ, quod agat de obiectiuo syllogismo, & idem pariformiter dicendum de cæteris sciendi instrumentis.

## QVÆSTIO V.

*Quidnam dicat syllogismum formaliter.*

43. *EX* huius questionis resolutione dependet alia cælebris controuersia, an scilicet Logica agat de ente rationis formaliter, seu tanquam de obiecto formali, habet enim necessariam connexionem; nam si syllogismus & cætera obiecta per se Logica dicat formaliter entia rationis, tum certu est quod Logica agit per se formaliter de ente rationis, quia sine dubio agit de syllogismo formaliter, hoc est de ratione formali constitutua syllogismi: si autem nec syllogismus nec alia obiecta Logica dicat formaliter ens rationis, aut constituantur formaliter per ens rationis, sed per aliquid aliud; tunc Logica agit per se de illo alio, non verò de ente rationis, nisi eo modo quo agit de cæteris omnibus entibus, quatenus scilicet est quid definibile, prædicabile, subiicibile, &c.

*Communissima sententia est*, syllogismum & cætera obiecta per se Logica dicere formaliter ens rationis. Ita *D. Th. 4. Met. lect. 4.* cum omnibus suis, teste *Masio in præmiali sect. 1. qu. 1. 3. Tol. qu. 5. Log. Ruus qu. 6. Log. Cursus Carmelitani disp. 1. præmiali q. 2. sect. 3. Merinerus q. 4. præmiali sec. 1. Scoti scilicet communiter*. Aliqui tamen recentiores, ut *Conybricensis q. 5. Log. Fonseca 2. Met. c. 3. q. 1. sec. 5. Huradus disp. 1. sec. 1. Auerſa q. 2. de obiecto Logicae sec. 4. & nonnulli alij tenent oppositum, cum quibus sit nostra.*

## CONCLUSIO I.

44. *Nec syllogismus, nec vllum aliud obiectum, vllius partis Logica dicit per se formaliter ens rationis & consequenter obiectum Logica formale non erit ens rationis vllum.* Probatur quia secundum aduersarios communiter, ens rationis non potest fieri nisi per fictionem intellectus, sed certum videtur, ad hoc ut fiat syllogismus & quodcunq; aliud Logica obiectum, non esse necessarium ut intellectus aliquid fingat, aut cõcipiat aliter quàm est in se, ergo nec

Nullum  
obiectum  
Logicum  
dicit per  
se for-  
maliter  
ens ratio-  
nis.

nec syllogismus nec aliquid aliud obiectum per se Logica dicitur formaliter ens rationis. Probatur minor: si deberet intellectus fingere, aut aliquid concipere aliter quam est ad faciendum syllogismum, aut aliquid aliud obiectum Logica deberet fingere, ut faceret genus, quia est eadē ratio de genere & ceteris, ut omnes fatebuntur: sed non est necesse utingat, vel consideret rem aliter quam est in se, dum facit genus, quia ut faciat genus non requiritur aliud quam quod consideret naturam aliquam communem pluribus speciebus, v.g. naturam animalis, non consideratis ipsis speciebus, vel quod consideret illam inexistentem speciebus; utroque autē modo potest eam considerare sine fictione aliqua: ergo ut fiat genus non est necesse ut intellectus aliquidingat aut consideret aliter quam est.

Fateatur quidem libenter intellectum ex eo quod comparat naturam genericam ad species, aut consideret ipsam quovis modo habere occasionem & fundamentum fingendi ens rationis aduenire naturam; sed ut idingat, non est necesse, & est omnino impertinens ad naturam genericam formaliter, quæ haberet talem rationem, quamvis nullo modo hoc fingeret intellectus, & de facto habet, quando intellectus vere concipit nihil tale aduenire naturam sic considerat.

45. *Probatur secundo conclusio*: etiam si intellectus non haberet facultatem fingendi aut excogitandi ens rationis, posset sine dubio discurrere quandoque bene quandoque male, & cognoscere etiam modum, quo mediante posset bene discurrere; absurdum enim videtur quod talis perfectio intellectus dependeret à fictione entium rationis, aut eorum consideratione: ergo posset haberi Logica sine ente rationis, & consequenter nec syllogismus, nec ullum aliud obiectum per se eius dicitur formaliter ens rationis. Probatur prima consequentia, quia Logica nihil aliud est quam cognitio modi discurrendi: ergo si haberetur sine possibilitate entis rationis cognitio modi discurrendi, posset etiā haberi Logica sine ente rationis.

*Probatur tertio*, quia ut patet ex quæst. 3. de ente rationis, esse cognitum non dicitur formaliter ens rationis, sed ipsam cognitionem realem, quæ extrinsece denominat rem cognitam: ergo similiter esse prædicatum non dicitur formaliter ens rationis, sed ipsum actum intellectus prædicantem rem, eadem enim est ratio utrobique, ut patet: sed si aliquod obiectum Logicum diceret formaliter ens rationis maxime esse prædicatum, ut aduersarij omnes fatebuntur, ergo nullum obiectum Logicum dicitur formaliter ens rationis.

46. *Obiicies primò secundum Philosophum 4. Met. tex. 5.* Dialectica & Metaphysica versantur circa omnia entia: sed hoc esset falsum, nisi Dialectica ageret de ente rationis formaliter, quia nihil aliud considerabile à Logica potest reperiri in ente, ratione cuius posset agere de omni ente, ergo agit per se formaliter de ente rationis.

*Respondetur* negando minorem. cum enim Logica agar de prædicato ut prædicatum est, & nihil sit quod non possit esse prædicatum, inde optime dici potest Logicam agere de omni ente secundum aliquam considerationem. Ad probationem minoris respondeo, non esse necesse ad hoc, ut scientia consideret aliquam rem, ut ratio formalis, secundum quam considerat istam rem, sit intrinsece in illa re, sed sufficit ut sit vel intrinseca, vel extrinseca ipsi: quando enim consideramus parietem ut cognitum per cognitionem realem inhaerentem intellectui: non consideramus ipsum secundum quod afficitur aliqua forma sibi in existente; ut patet. Vnde quamvis non posset dari aliquid in omnibus rebus considerabile à Logica præter ens rationis non sequitur quin Logica posset considerare omnes res, non considerando ipsas ut affectas aliquo ente rationis, quia posset considerare ipsas ut affectas aliqua denominatione extrinseca.

47. *Obiicies secundò*: Logica est scientia rationalis: ergo agit de ente rationis per se tanquam de obiecto. Probatur consequentia, quia non potest assignari qua alia ratione dicatur rationalis, quam quod agat de ente rationis.

*Respondetur* negando consequentiam cum sua probatione, quia potest vocari scientia rationalis ex eo quod

ostendat modum ratiocinandi, seu discurrendi: sicut enim dicitur homo esse rationalis creatura ex eo, quod potest discurrere, cur facultas seu scientia docens modum discurrendi non possit dici scientia rationalis.

*Dices*: sequeretur quod esset scientia realis non solum in sua entitate, sed etiā obiective, quatenus scilicet scientia realis dicitur illa, quæ habet obiectum reale; sed hoc est absurdum; ergo. Probatur minor, quia alias sequeretur quod male diuideret Aristoteles scientiam realem in Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam, quandoquidem daretur alia scientia realis, nimirum Logica, quæ ad neutram ex illis spectaret.

*Respondetur* negando minorem, & distinguendo sequelam probationis: scientiam realem ut sic, concedo sequelam, nec eam diuisit Philosophus; scientiam realem speculatiuam, non rationalem, hoc est non ostendentem modum discurrendi, negatur sequelam; eam autem diuisit Philosophus.

Ceteræ obiectiones ex dictis & dicendis facile soluantur.

Quod si aliquis author, cuius auctoritatem quis admittere vulerit, dicat Logicam agere de ente rationis, potest explicari de ente rationis fundamentaliter, non formaliter, iuxta ea, quæ dixi in *disputatione de ente rationis, quæst. 3.* aut iuxta alios modos ibi assignatos.

## CONCLUSIO II.

48. *Syllogismus formaliter loquendo dicitur talem dispositionem trium terminorum in tres propositiones, ut nunquam possint due præmissæ esse veræ, quin conclusio etiam sit vera, quæ dispositio habetur formaliter ab intellectu concipiente res tali modo, vel à causa proponente res tali modo, quæcumque demum illa sit.* Hæc est communis inter eos, qui dicunt syllogismum non dicere formaliter ens rationis: & patet, quia nihil aliud potest assignari, quod conuenientius assignari possit pro formali ratione eius. Præterea certum est quod manentibus reliquis omnibus præter istam dispositionem, non erit syllogismus compositus ex terminis, & adueniente sola illa dispositione erit compositus; ergo ab illa dispositione habebit esse syllogismum: quod autem illa dispositio habeatur formaliter ab intellectu concipiente terminos tali modo, vel à causa eos sic proponentes, etiam patet quia eo ipso, quo sic proponantur, vel concipiantur, erunt sic propositæ, quamvis nihil aliud intelligatur ipsis aduenire, ergo.

49. *Dices*: ideo habent termini, & propositiones bene disponi quoties concipiuntur tali modo, quia toties sequitur in ipsis vnum ens rationis; unde non sequitur quod ab intellectu sic concipiente habeant formaliter bene disponi, esse syllogismum.

*Contra*, quia possunt sic concipi sine fictione; ergo non necessario sequitur ens rationis. Deinde sicut possunt res concipi absolute absque eo quod resultet ulli ens rationis, non est vlla ratio quin possint concipi tali vel tali modo absque eo quod resultet ulli ens rationis.

Ex hoc facile resolui potest quomodo consideret Logica res omnes, an ut dirigibiles, seu disponibiles debito modo & figura, an vero ut dispositæ. Respondendum enim est quod utroque modo, nam considerat Logica & dat modum concipiendi syllogismum, seu taliter disponendi res, ut ex iis resultare possit syllogismus obiectiuus; & consequenter considerat res ut sic disponibiles; deinde etiam considerat naturam & proprietates syllogismi, & consequenter considerat res ut dispositas, quia syllogismus nihil aliud est quam res sic disposita. Sed aduertendum quod quemadmodum Physica considerat compositum ex materia & forma præscindendo ab actuali existentia, hoc est non curando, quod existat actu, vel non existat, ita etiam Logica quando considerat syllogismum, seu res dispositas tali vel tali modo, non exigit quod actu sic disponantur, sed omnino ab hoc præscindit.

*Quæres* quodnam sit obiectum magis principale ex omnibus obiectis partialibus consideratis in Logica *Respondetur*

Cur Logica vocetur rationalis scientia.

Quo sensu Logica non est scientia realis.

Quid dicitur formaliter syllogismus.

Quo sensu Logica agit de omnibus rebus.

Demon-  
stratio  
est, per-  
fectissi-  
mum  
obiectū  
Logicæ.

detur breuiter cum communi omnium sententia esse demonstrationem, quia est instrumentum acquirendi scientiam perfectissimam.

## QVÆSTIO VI.

De diuisione Logicæ in Vttem & Docentem.

50. **A** Nequam ad quæstionis huius resolutionem veniamus, prius de duabus aliis Logicæ diuisionibus, in quibus omnes fere conueniunt, pauca breuiter dicemus.

Itaque cum constet ex dictis Logicam esse facultatem bene discurrendi, seu deueniendi in cognitionem rei ignotæ, & aliqui naturaliter sine vlla arte discurrent, & ex notis ignota colligunt: primo diuiditur, Logica in naturalem & artificialem; & per naturalem intelligitur, ipsemet intellectus, quatenus est aptus ad discurrendum absque subsidio artis; per artificialem vero intelligitur facultas superaddita intellectui, qua determinatur & facilitatur ad cognoscendum modum discurrendi ut sic, seu perueniendi ad cognitionem rerum occultarum absque periculo erroris.

Diuisio  
Logicæ  
in natu-  
ralem &  
artificia-  
lem.

Diuisio  
Logicæ  
artificia-  
lis in ha-  
bitualem  
& actual-  
lem.

Rursus quoniam determinatur intellectus ad hoc cognoscendum in actu secundo, & in actu primo. Logica artificialis diuiditur in actualem & habitualement. Actualis est ipsa actualis cognitio, quam habet intellectus de modo discurrendi, aut definiendi, aut diuidendi ut sic; & illa quam habet, quod syllogismus debeat constare tribus terminis; definitio genere, & differentia; diuisio esse adæquata, &c. Habitualis vero est quod facilitat ipsum ad habendum talem cognitionem.

Quoniam denique qui est artificialiter Logicus, duo præstare potest, primo cognoscere qua ratione syllogismus sit conficiendus, & diuisio, & definitio; secundo facere syllogismum, definitionem, ac diuisionem conformiter ad illam cognitionem; Logica artificialis communiter diuiditur in vttem & Docentem, de qua diuisione, quia aliqua non leues difficultates occurrunt, specialem instituere visum est quæstionem, & illas difficultates examinare & soluere: sunt autem tres potissimum, prima difficultas est, quid per Logicam Docentem, quid per Vttem intelligatur; secunda, vtrum Logica quoad omnem sui partem, & præsertim quoad tres principales, v. g. Analiticam, illam scilicet, qua docetur quomodo sit conficiendus syllogismus ut sic & demonstratio; Topicam & Sophisticam, qua docetur quomodo sit conficiendus syllogismus probabilis & syllogismus sophisticus seu syllogismus apparens, sed falso cõcludens, recte sic diuidatur. Tertia, an Logica Vtens & Docens realiter distinguatur.

Quid sit Logica Vtens, & Docens.

51. **H**æc difficultas est tantum de nomine, & licet aliqui dicant quod Logica Docens sit facultas ostendens modum discurrendi, & ignotum ex ignoto deducendi, Logica vero Vtens sit quæcumque alia scientia vtens præceptis Logicis, ita ut quando dicitur Logica Vtens, ly Logica non sit nominatiui, sed ablatiui, casus communis tamen sententia iam tenet Logicam docentem esse facultatem docentem quomodo confici debeant modi sciendi, verbi gratia syllogismus, definitio, diuisio, & quæ sit natura ac proprietas eorum: Logicam vero Vttem esse facultatem confectiuam istorum modorum. Itaque iuxta hunc modum dicendi, qui accommodatior videtur, Logica Docens actualis est cognitio, quæ habetur de natura syllogismi ac aliorum instrumentorum sciendi; & Logica Docens habitualis erit habitus inclinans intellectu ad illam cognitionem. Logica autem Vtens actualis erit ipsamet confectio syllogismi, aliorumque instrumentorum; & Logica Vtens habitualis erit habitus inclinans intellectu ad istam confectioem. Quævis autem pro hoc modo dicendi sufficiat communior consensus, cum quæstio non possit esse nisi de nomine, tamen vterius suaderi potest, tum quia certum est dari cognitionem ac confectioem

Quid  
Logica  
docens  
& vtens  
tam ha-  
bitualis  
quam  
actualis.

syllogismi, & habitum inclinantem ad illa; tum etiam quia ista explicatio satis congruere videtur ipsis nominibus Logicæ Docentis ac Vtens, ut patet.

Confirmatur, quia secundum omnes idem intelligi debet per Logicam Docentem, quod Græci per Logicam aulsum à rebus; & per Vttem, quod illi intelligunt per Logicam concretam rebus: sed habitus ostendens naturam syllogismi, aliorumque instrumentorum sciendi est aulsum à rebus, quia ad hoc cognoscendum non est necessarium cognoscere naturas rerum vllarum determinatarum, in quibus fieri deberet syllogismus; habitus vero cõficiens syllogismum non est aulsum à rebus, quia non potest fieri aliquis syllogismus vtilis, quin cognoscatur materia determinata, in qua sit: ergo bene explicat communis sententia vtramque Logicam.

An Logica quoad Analiticam, Topicam, & Sophisticam partem bene diuidatur in Docentem & Vttem.

52. **C**irca hanc difficultatem Diui Thomæ sententia est 4. Met. sect. 4. quam sequuntur Conyimbrienses q. 4. proem. act. 2. Fonseca 2. Met. cap. 3. q. 1. sect. 6. Complutenses Carmelita dis. 1. proem. q. 4. Dialecticam, quoad partem demonstratiuam non recte diuidi in Docentem & Vttem, sed solummodo quoad partem Topicam, & Sophisticam.

Nos autem contra existimamus non minus bene diuidi partem Topicam Logicæ in vttem & Docentem, quam partem analiticam priorem ac posteriorem, & nobiscum sentiunt præter Scotistas communiter Iuuelius tract. 2. Log. c. 6. Sol. & Sotus q. 2. proem. Masius, Santicus, alique recentiores Thomistæ, ac Aueria q. 1. Log. sec. 2. Fundamentum potissimum est, quod non minus pertineat ad Logicam cognitio conficiendi syllogismi Topici in quacumque materia, & confectio eiusdem, quam cognitio conficiendi syllogismi demonstratiui, & confectio eiusdem in quacumque materia: sed propterea diuiditur bene secundum aduersarios in Docentem, & Vttem quoad partem topicam & sophisticam, quia cognitio & confectio illorum syllogismorum ad ipsam pertinet; ergo etiam quoad partem demonstratiuam, & consequenter etiam quoad partem analiticam priorem bene diuidi potest in Vttem & Docentem, quandoquidem cognitio & confectio tam syllogismi ut sic, quam syllogismi demonstratiui ad ipsam pertineat. Maior patet, quia qua ratione confectio cuiuscumque syllogismi demonstratiui non pertineret ad Logicam, sed ad scientiam in cuius materia fieret, verbi gratia ad Physicam, si materia esset physica; ad Metaphysicam, si metaphysica, prout asserunt aduersarij; eadem ratione confectio cuiuscumque syllogismi topici non pertineret ad Logicam, sed ad scientiam in cuius materia exerceretur, ergo non minus pertinent confectioes syllogismorum demonstratiuorum ad Logicam quam Topicorum.

53. Dicunt aduersarij materiam, in qua sit syllogismus probabilis, non pertinere ad vllas scientias, quia nulla scientia potest esse principium opinionis, aut cognitionis incertæ, & cõsequenter debere pertinere ad solam Logicam, secus vero esse de syllogismi demonstratiui materia.

Sed contra primo, quia inde sequeretur quod vnica Logica esset multo maior, quam omnes alie scientie, quandoquidem sine comparatione sint plures cognitiones probabiles cognitæ à nobis pro hoc statu, quam scientificæ, quod videtur absurdissimum: nec absurditatem diminuit, quod ipsi respondent conclusiones probabiles pertinere etiam ad alias scientias, quia Logica est ministra aliarum scientiarum, & consequenter bona ipsius etiam sunt bona aliarum scientiarum. Hoc inquit non minuit absurditatem primo, quia non tollit quin per se plura pertinerent ad Logicam quam ad omnes alias scientias; secundo quia licet Logica sit ministra aliarum scientiarum, nemo dixerit cognitionem, quæ habetur de syllogismo conficiendo, esse cognitionem physicam, aut metaphysicam, sed mere Logicam ergo cognitiones probabiles, si per se pertineant ad logicam, non debent dici physicae, aut metaphysicae, quamuis sint cognitiones logicæ, & Logica sit ministra aliarum scientiarum.

Contra

Logica  
diuiditur  
bene  
quoad  
tres suas  
partes in  
Vttem  
& Docen-  
tem.

Respon-  
sio ad-  
uersario-  
rum.

54. *Contra etiam secundo* est, quod si omnes cognitiones probabiles materiarum quantumvis diuersarum, tam quæ abstrahunt à materia, quam quæ non abstrahunt, possunt pertinere per se ad vnā facultatem, seu habitum cognituum; nulla poterit esse ratio cur omnes conclusiones scientificæ non possint pertinere ad vnā scientiam habitualement: sed hoc est secundum omnes absurdum, & secundum aduersarios, præsertim Cōplutenenses, impossibile, ergo & illud vnde sequitur.

55. Vnde concludendum est conclusiones probabiles in materia physica pertinere ad physicam, sicut & quæ sunt in materia metaphysica spectant ad Metaphysicā. In ea vero quod aduersarij dicunt conclusiones probabiles physicas non posse spectare per se ad physicā, quia Physica scientia est, scientia non potest esse principium opinionis: supponunt rem omnino falsam, nimirū quod habitus physicus quoad omnem partem sui sit scientia, cuius contrarium postea ostendemus.

*Contra hanc vero nostram resolutionem argumentantur Complutenenses* hoc modo: si Logica haberet vsum partis demonstrationis, vel esset in materia necessaria aliarum scientiarum, vel in materia propria, sed neutro ex his modis haberet vsum, ergo, &c. Minorem quoad primam partem dicunt concedi ab aduersariis, & probari manifeste, quia ipsa Metaphysica in sua materia vtitur præceptis Logicæ Docentis; facitque suas proprias demonstrationes & idem est de aliis scientiis, quarum demonstrationes non producantur à Logica sed ab ipsis, quia alias si sola Logica efficeret omnes demonstrationes, ipsa sola esset scientia. Aliā etiam rationem ad eandem minorem probandā adiungunt, nimirū quod tota substantia actuum demonstrationis Metaphysicæ, sit Metaphysica, ergo Logica non potest aliud facere in illis demonstrationibus, quam dispositionem istorū actuum in formā demonstrationis: sed hoc non potest facere, quia illa dispositio est ens rationis, & ens rationis non fit per se ab aliqua causa, sed per accidens resultat ad positionē alicuius actus realis & consequenter ad positionē actuum Metaphysicę in demonstratione metaphysica, ergo illa dispositio à Metaphysica producit, & nō à Logica.

Eandem minorem, quoad secundam partem probant, quia vsum Logicę Vtens debet distinguī à doctrina Logicę Docentis; sed demonstrationes, quę fiunt in materia propria Logicę, non distinguuntur à doctrina, ergo Logica non habet vsum in materia propria. Confirmat hoc, quia si Logica respectu suæ materiæ necessariæ diceretur Vtens, non essent idem Logica Vtens & Logica rebus concreta, quia dum demonstrat in materia sua propria, non est rebus vllis concreta.

56. Verū enim uero quidquid sit de aliis aduersariis, Respondetur negando minorem obiectionis, quoad utrāque partem, & ad probationem primæ partis dico, si proprie loquendum sit, nec Metaphysicam, nec vllam aliam scientiam vti Logica, sed posse intellectum vti in demonstratione metaphysica & alterius scientiæ tam Logica, quam Metaphysica, cum enim Metaphysica nec informet nec informetur à Logica, nec obiectū ipsius cognoscat: quomodo illa vti poterit? Quod si etiam vteretur præceptis Logicę; profecto non inde sequeretur, quin Logica concurreret ad illas demonstrationes cōficiendas; cur enim deberet vti Logica ad aliquid faciendū, nisi Logica ad illud faciendū concurreret? Neque ex eo quod Logica concurreret ad alias demonstrationes, sequeretur quod ipsa sola eas cōficeret: aut quod ipsa sola esset scientia, sicut nō sequitur quod ipsa sola, eo quod secundum Cōplutenenses cōcurrat ad opiniones, sit opinio.

Itaque ad demonstrationē cōficiendam in materia metaphysica concurrunt tam Logica quam Metaphysica; Logica quidem quantum ad dispositionem terminorū, quæ eadem potest esse in variis materiis, Metaphysica vero, quantum ad cognitionem talis determinatæ materiæ, quæ cognosci non potest neque per Logicam, neque per vllam facultatem distinctā à Metaphysica.

57. Quod verò in secunda probatione minoris cōtra obijciunt, nimirum dispositionem esse ens rationis im-

primis falsum est, vt patet ex dictis; deinde etiam si verū esset, non facit ad propositum, quia ipsimet fatebuntur sine dubio, vt talis dispositio bona habeatur, Logicam aliquo modo concurrere, alias nec Metaphysica, vteretur præceptis Logicę, nec Logica esset necessaria ad alias scientias, quod nec ipsi, nec vllus alius dicit.

Ad probationem minoris quoad secundā partē, quidquid sit de maiori, negatur minor, quia quando Logica demonstrat definitionē debere cōstare genere, & differentia, licet doceat tū quomodo definitio debeat fieri, nō tamē docet quomodo demonstratio debet fieri, vt patet, ergo vsum demonstrationis in materia Logica distinguitur à doctrina, qua docetur quomodo debet demonstratio fieri, similiter quādo Logica definit demonstrationē, nō docet quomodo definitio debet fieri, sed vtitur ista doctrina definiendo demonstrationē: ergo Logica habet vsum demonstrationis in materia propria distinctū à doctrina faciendā demonstrationis, & vsum definitionis distinctū à doctrina eius cōficiendā: hoc autē sufficit, vt in materia propria Logicę vsum distinguatur à Logicę doctrina.

58. *Confirmatur*: ideo vsum Logicę in aliena materia, v.g. physica vel metaphysica, distinguitur à doctrina eius, quia potest, quis cognoscere quomodo definitio vt sic, sit faciendā, & habere etiā facilitatē ad hoc cognoscendū sine eo quod cognoscat definire aliquod obiectū physicū, aut metaphysicū; sed potest quis cognoscere, quomodo definitio sit faciendā, sine eo quod cognoscat quomodo definiti possit syllogismus topicus; qui est materia Logicę: ergo vsum Logicę in materia propria est distinctus à doctrina eius. Ad confirmationem, Respondetur negando sequelam, quia est concreta materiæ illi, in qua vtitur sua doctrina.

*Quomodo Logica Vtens & Docens distinguuntur.*

Suppono ex dicendis in Metaphysica distinctionem realem esse illā, quæ est inter duo, quorū alterum potest sine alio existere, aut quorū vnū potest subiectari in subiecto, in quo alterum non subiectatur, aut quorum vnum producit realiter productionē verā reali alterum: Distinctionem vero formalem esse eam, quæ datur à parte rei, & non est realis in sensu iam explicato.

#### CONCLUSIO.

59. *Logica Vtens habitualis non distinguitur realiter à Logica Docente habituali, sed ad summū formaliter, secus vero est de Logica Vtente actuali, & Docente actuali.* Ita D. Tho. 4. Met. lect. 4. cum multis aliis, quos citant & sequuntur Complutenenses disp. 1. proam. q. 4. colligiturque ex D. q. 1. Vniuersalium, & q. 1. Elenchorum, quæ in eo sensu sequitur Faber theoremate 1. c. 1. Fructus q. 4. diff. 2. art. 1. & est cōmunior sententia Scotistarū, quos sequitur Camerarius contra Tartaretū q. 1. proam. dub. 1. & Caberū tr. 1. proam. disp. 2. dub. 1. quos sequitur Mastrius hic q. 1. art. 1.

Probatur prima pars, quia nō est vlla necessitas multiplicandi duos habitus Logicę, quorum vnus sit Docēs, & alter Vtens; idem enim habitus Logicę Docētis potest vtriusque munus subire; nā eo ipso quo cognoscimus quomodo syllogismus in quocunq; modo & figura fieri debeat, q. est munus Logicę Docētis, facilitamur ad cōficiendū syllogismum in quocunq; modo & figura, & in quacunq; materia cognita natura materiæ; ergo idē habitus Logicę Doc. exercet sufficiēter munus vtriusque habitus, & consequenter non est necessitas multiplicandi istos habitus.

Confirmatur: Logica Vtēs est, quæ inclinatur ad faciendū syllogismū, verbi gratia: sed Logica Docens sic inclinatur: impossibile enim est quod qui cognoscit quomodo syllogismus sit cōficiendus, non facilitetur ad eum cōficiendum: ergo conuenit Logicę Docenti esse Vtens, & consequenter idem omnino est habitus, qui dicitur Docēs & Vtens; Docens quidem, quatenus inclinatur ad cognoscendum quomodo syllogismus sit cōficiendus; Vtens verò quatenus inclinatur ad ipsum cōficiendum.

60. *Quidam* Scotista ad dirimendam hanc controuersiam distinguit duas Logicas Vtentes, vnā elicitiuam, quæ est scientia illa, in cuius materia cōstruitur syllogismus; aliam directiuam, quæ est ipsamet Logica Docens,

Vsum demonstrationis in materia Logica distinguitur doctrina eius.

Non distinguitur Logica habitualis docēs realiter à Logica à Vtenti habituata.

F & iuxta

Conclusiones probabiles omnes non spectant ad vllam scientiam.

Nulla scientia alia vtitur Logica proprie loquendo.

& iuxta hoc dicit Logicam Vttem directiuam & Docentem nō esse habitus distinctos secus verō dicendum de elicitiua, quæ potest esse distincta realiter, nimirum quando construitur syllogismus in materia alterius scientiæ à Logica,

Verum hoc non deferuit ad propositum, quia nemo negat quin quādo sit syllogismus in materia Physicæ ipsa Physica concurrat ad sciendū istum syllogismū & quin etiā Physica distinguatur realiter à Logica Docente, nec in hoc sensu proponitur controuersia, sed vtrum præter habitū scientiæ, in cuius materia sit vsus præceptorum Logicæ, & præter habitum Logicæ Docentis sit alius habitus distinctus, qui sit Logica Vtēs. Deinde falsum est & præter communem modum loquendi Physicam esse Logicam Vttem, aut Metaphysicam, quamuis enim aliqui dixerint quod Physica, & idem est de ceteris scientiis, esset Logica Vtens, sumpta Logica in ablatiuo casu, tamen nullus præter ipsum & Caberum dixit quod Physica esset Logica Vtens, sumpta Logica in nominatiuo casu, quod tamen necessarium esset vt diceretur habitus Logicæ vtentis.

Logica Docens actualis distinguitur realiter ab vtente actuali.

61. *Probatur secunda pars conclusionis contra Martinium q. 2. proem.* quia Logica Docens actualis est cognitio qua cognoscitur quomodo syllogismus v.g. sit sciendū; Logica verō Vtens actualis est constructio, seu confectio actualis syllogismi: sed certum est hos actus distinguere realissime, quandoquidem posset esse primus sine secundo.

*Obiicies contra primam partē:* In arte pictoria, scriptoria, psaltatoria reperitur duplex habitus realiter distinctus, vnus quo inclinatur quis ad cognoscendum quomodo pingendum, scribendum, & psaltandum sit; & alter, quo quis faciliatur ad pingendum, scribendum, & psaltandum: ergo idem dicendum est de arte Logica,

Cur alie artes includent duos habitus Docentem & Vttem non vero Logica.

*Respondeo* negando consequentiam, quia in illis artibus non est eadem potentia sola, quæ cognoscit, quomodo actus illi sint faciendi, & quæ facit istos actus, vt patet, vnde plures habitus ponuntur, vnus ad determinandā vnam potentiam, & alter ad alteram: secus autem est in proposito, quia est eadē potentia nimirum intellectus qui cognoscit quomodo faciendus sit syllogismus, & qui ipsum facit; nec habet difficultatem aliquā in confectioe syllogismi, quando cognoscit quomodo debeat fieri præter difficultatē, quæ oritur ex defectu cognitionis materiæ, quam difficultatem tollit scientia in cuius materia sit syllogismus. Imo ex his exemplis potest confirmari resolutio nostra, quia ex parte intellectus nō ponitur alius habitus in arte pictoria ad determinandū, ad pingendū & (idem est de ceteris) distinctus ab illo, quo determinatur ad cognoscendum, quomodo pingi debeat: nec ex parte intellectus poni debet duo habitus quorum vnus determinet ad cognoscendum quomodo syllogismus debeat fieri, & alter ad sciendū syllogismum.

62. *Obiicies secundo.* Non augetur habitus Logicæ Docentis per actus Logicæ Vtantis, ergo non est idem habitus vtriusque. Probatur cōsequentiā, quia si esset idē habitus, deberet augeri; habitus enim ōnis augetur per suos actus. Antecedens patet experientia, quia ex confectioe frequenti syllogismi in *Barbara*, non magis faciliatur quis ad cognoscendum quomodo debet fieri, quam si non tam frequenter conficeret ipsum, ergo non augetur habitus Logicæ Docentis per actus Logicæ Vtantis.

*Respondetur communiter* negando antecedens cum consequentia suæ probationis, quia quando idem habitus habet duos actus, licet augetur per quemlibet ex illis, non tamen sentitur facilitas nisi in ordine ad actus, quibus mediantibus augetur.

*Sed contra* hanc responsionem primò, quia si habitus in se augetur formaliter, debet sentiri facilitas in ordine ad omnes actus, respectu quorum est, habitus, siue ab ipsis producat, siue non; neque enim habet facilitare ad actus ex eo, quod ab ipsis producat, sed ex eo quod sit talis natura, vnde si produceretur à solo Deo, adhuc faciliaret potentiam, vt omnes fatentur.

*Confirmatur* augmentum, quod procedit ab actu Logicæ

Vtantis, est eiusdem naturæ cum augmento, quod procederet tum ab actu Logicæ Docentis, si adfuisset, alias non esset idem habitus vtriusque, vt patet; ergo quemadmodum istud augmentum, si procederet à Logica Docente, faciliteret ad eius actus, ita etiā deberet ad eosdē facilitare, si procederet ab actibus Logicæ Docētis; si enim in se nullam habet variationem; nec accidentalem quidem, ex eo quod procedat ab vno potius quam ab altero, nō potest habere vim vllā determinatiuā, quando procedit ab vno, quam non haberet, quando procedit ab altero.

63. *Itaque respondetur aliter:* concedendo antecedens, & negando consequentiam cum sua probatione, quia nō debet habitus augeri per actus alios quā per illos qui eliciunt ab ipsomet: confectio autem syllogismi non fit ab habitu Logicæ Docentis elicitiue, sed regulatiue, & directiue, vnde non debet augeri per istam confectioe, sicut nec per psaltationē quæ dirigitur per cognitionē, quam habet psaltans de modo psaltandi, augetur habitus intellectus, à quo procedit ista cognitio. Aduertendū autem hic q. non negamus, quin augeatur Logica Docens quoties conficitur syllogismus, sed tantū quod nō augetur per confectioem illam; seu actus Logicæ Docentis.

Etiā quærat per quem alium actū augetur, Respondendum, est, quod per actum Logicæ Docentis, qui simul habetur cum ista confectioe, quoties confectio fit artificialiter, nimirum per cognitionem qua cognoscitur qua ratione ista confectio fieri debet.

64. *Obiicies tertio:* Aliquis cognoscens optime quomodo syllogismus sit sciendū in aliquo modo & figura v.g. in *Eape* mo, habet tamen difficultatem eum faciendi, vt patet in tyronibus, ergo. Hæc obiectio est fundamentum potissimū *Mastris*, & sane si verum esset antecedens, supposita cognitione perfecta materiæ, in qua syllogismus esset sciendus, conuinceret intentum, quidquid dicant alij.

*Sed respondetur* negando antecedens, nec experientia vlla tyronum illud probari potest, qui si cognitio quomodo syllogismus sit sciendus, sentiant difficultatem in eo sciendo, id oritur ex eo, quod non cognoscant materiam, in qua volūt syllogismum conficere; vel etiam ex eo, quod non perfecte cognoscant quomodo syllogismus sit sciendus, quamuis enim scient bene regulam memoriter, secundum quam confici debet, tamen sæpe non bene illam intelligunt, vt non mirum sit, quod consequenter difficultatem sentiant in ea applicanda, ac sciendo syllogismo.

45. *Obiicies quarto:* Actus Logicæ Docentis & Vtantis sunt distinctæ rationis, ergo habitus, ex quo procedit vnus, nō potest esse idē realiter cū eo, à quo procedit alter, quia habitus specificatur ab actibus, hoc est ex diuersitate specifica actuum colligitur diuersitas specifica habituum.

*Respondetur* negando consequentiā, quia actus speciei diuersi possunt provenire ab vno habitu, præsertim quādo vnus ex ipsis procedit ab habitu elicitiue & alter directiue, quemadmodū fit in proposito, vt patet ex actibus omnium virtutum moralium, qui procedunt ab habitu prudentiæ, cum tamen distinguantur specie ab actibus elicitis ipsiusmet prudentiæ. Vnde ad probationē consequentiæ Respondeo habitus specificari ad summum ab actibus elicitis, non verò ab imperatis, seu ab iis, qui directiue tantum, & regulatiue ab ipso procedunt.

66. *Obiicit præterea Martinus contra secundam partem:* eodem dictamine, quo intellectus per Logicam cognoscit quomodo syllogismus in vniuersali sciendus sit, determinatur sufficienter ad sciendū quemcūque syllogismum in particulari, sine aliquo alio dictamine, ergo idem est actus Logicæ Docentis & Vtantis.

*Respondetur* negando consequentiam, quia illud dictamē nō est actus Logicæ Vtantis, vt Martinus supponere videtur; sed syllogismus, qui mediante isto dictamine fit, est actus Logicæ Vtantis, aut confectio eius. Imo si requireretur aliud dictamen particulare, seu cognitio ad sciendū syllogismum particularem, ista cognitio & dictamen esset actus Logicæ Docētis; vnde quod requiratur, vel non requiratur aliud dictamen

Non augetur habitus docens per actus vtentis.

Actus speciei distincti possunt provenire ab eodē habitu.

Si augetur habitus habens duos actus, per vnum ex illis, debet sentiri facilitas in ordine ad alterum.

men præter dictamen illud vniuersale, est omnino impertinens ad rem.

## A D D I T I O.

Contra doctrinam meam in hac quæstione multa adducit Maftrius *disputatione prima Metaphisica à numero sexagesimo quarto*, quæ in veritatis confirmationem maiorem examinanda sunt.

Itaque imprimis contra disparitatem quam *numero sexagesimo primo*, adduxi inter Logicam ac Artes mechanicas, pictoriam, scriptoriam, saltatoriam, nimirum quod in his artibus non sit eadem potentia, quæ facit rem, & quæ docet quomodo fieri debeat, & propterea illas posse dicere duos habitus; sit vero eadem potentia quæ docet, quomodo syllogismus confici debeat & quæ facit syllogismum, & propterea Logicam cuius est inclinatio ad docendum & faciendum, non debere dicere duos habitus. Contra hanc disparitatem Maftrius ait adduci à me causam pro non causa; neque enim quid cur multiplicentur habitus in illis facultatibus est quod spectent ad diuersas potentias; quia Medicina diuiditur in duas tales facultates, licet spectet ad eandem potentiam, & idem est de Rhetorica & Grammatica; & in arte saltatoria si quis haberet membra sua naturaliter ad saltandum disposita, non indigeret habitu in membris, sed sufficeret habitus docens etiam si executio spectet ad diuersam potentiam. Vnde non est diuersitas potentiarum, sed diuersa difficultas, quæ facit vt geminari debeat habitus; quare cum intellectus sentiat nouam difficultatem in conficiendo syllogismo, etiam optime sciat quomodo confici debeat, admittenda est ad eam difficultatem superandam nouus habitus.

Verum ex hac doctrina præterquam quod nihil conuincat ad propositum, videtur mihi colligi posse Maftrium, vel me, vel seipsum non intellexisse. Ego enim nec cogitaui docere rationem multiplicandi habitus in illis facultatibus esse, quod spectarent ad diuersas potentias, sed diuersa difficultas; nam vniuersaliter ratio ponendi habitus acquisiti est difficultas aliqua; vnde si nulla esset difficultas neque in cognoscendo, neque in conficiendo syllogismus, nullus habitus deberet poni, neque docens neque vtens; sed intellectus se solo absque habitu sufficienter determinaretur, & ad cognoscendum quomodo fieri deberet, & ad ipsum conficiendum. Sed docui, & ni fallor, non male, rationem multiplicandi habitus in illis facultatibus esse, quia cum spectarent ad diuersas potentias, quantum qualibet sentiebat in actu suo difficultatem, habitus vnus non sufficeret ad tollendam difficultatem alterius; quare in altera etiam alius habitus poni deberet. Itaque fateor non esse diuersas facultates præcisè, quæ arguerent diuersos habitus; sed diuersas difficultates, & propterea negabam fuisse diuersam difficultatem in conficiendo syllogismo, & in cognoscendo quomodo confici deberet præter difficultatem materiæ, quæ non facit ad propositum: sed volui tamen quod propterea esset diuersa difficultas in illis aliis facultatibus & non in Logica, quia illæ spectabant ad diuersas potentias, & propterea non erat necessarium, vt ablata difficultate vnus per vnum habitum, tolleretur difficultas alterius, quem meum esse sensum in illa Logica quæstione nescio quomodo quempiam fugere posset.

Quod autem ait, diuersos esse habitus Medicinæ, Rhetoricæ ac Grammaticæ, quamuis spectent ad eundem intellectum. Respondeo in nostra sententia omnem scientiam totalem, & idem est de facultatibus, includere plures partes; sed constanter nego in illis facultatibus esse diuersos habitus, quorum vnus docent quomodo medicina faciendâ sit, & applicandâ, & alius inclinât ad eam faciendam aut applicandam, nisi in membris externis quis velit aliquem habitum poni ad hoc deseruientem quod sane in Chirurgicis præsertim, videri posset necessarium non minus, quàm in Musicis, nec similiter est necessarius alius habitus ad inclinandum

quempiam ad loquendum recte & ornate præter eum, qui inclinât ad docendum quomodo recte & ornate loquendum sit; & si quis sciat bene præcepta Rhetoricæ & Grammaticæ, habeat autem adhuc difficultatem in loquendo recte ac ornate, difficultas illa non est superanda per Rhetoricam aut Grammaticam, sed per alias facultates, ex quarum ignorantia sit, vt non inueniat quod recte ac ornate dicat.

Sed vt præstus rem ipsam attingamus, concedo si diuersa sit difficultas in conficiendo syllogismo ab ea, quæ est in cognoscendo, quomodo confici debeat, ponédos duos habitus Logicæ distinctos realiter, Sed nego esse illam diuersam difficultatem, & nego vlla experientia oppositum conuinci.

Sed vereor ne Maftrius reuincat me prouectorum experientia: ita enim promittit *pag. 51. col. 1. nam*, inquit, optimus Philosophus prompte, & expedite syllogismos conficit ex frequenti vsu syllogizandi, nec distincte, & exacte recordatur præceptorum Logicæ & summularum; vnde si de illis examinetur, non ita prompte respondebit, vt prompte conficit syllogismos; & idem asserit de perfecto Grammatico.

Tamen ni fallor hæc ad me reuincendum non sufficiunt, sed iuuant maxime ad ostendendum quod Maftrius non sciat rationem rectam reddere experientiæ, quam in se sine dubio, vt bonus Philosophus, ac Metaphysicus est, animaduertit. Quod totum, vt ostendam, quero primùm à Maftrio an optimus ille Philosophus qui prompte, & expedite argumenta conficit, nec distincte tamen & exacte recordatur præceptorum Logicæ, sciat, quomodo recte conficiendus sit syllogismus, nec ne. Si dicat illum id non scire, certe eo ipso impingit ipsis grauem ignorantiam, dum eum discurrerentem inducit, sed nescientem tamen an bene discurrat.

Quod si dixerit eum id scire: ergo recordatur Logicæ docentis ac habet habitum ens, ac actum etiam, quoties recte syllogizat, nec consequenter opus est alia Logica vtente.

Nec refert fundamentum Maftrij quod scilicet Philosophus promptus ad syllogizandum non recorderetur exacte regularum ac præceptorum Logicæ: quamuis enim oblitus sit regulæ, secundum quam syllogismus conficiendus sit in Darij, nec prorsus recorderetur quid intelligatur per Darij; tamen scit optime illum syllogismum, quem conficit esse bonum, quia scit esse similem alicui syllogismo quem ante fecit & quem recordatur fuisse factum iuxta aliquam regulam Logicæ, quamuis in particulari non recorderetur regulæ, & hæc ipsa cognitio est cognitio Logicæ docentis.

Sed vt magis adhuc appareat quomodo reuera se res habeat in hoc proposito, aduertendum est dum aliquis conficit syllogismum in materia physica verbi gratia, vel ipsum confecisse syllogismum absque præuia vlla consideratione, aut determinatione faciendi syllogismum, vel cum præuia deliberatione: si absque præuia deliberatione vlla faciebat syllogismum, confectio ipsius non prouenit ab vlllo habitu Logicæ, sed casu accidit vt sic discurreret vi intellectus, ac luminis naturalis, eo modo quo rustici aliquando syllogizant rectissime absque arte. Tunc autem aut apparebit lumine naturali quod ille syllogismus sit bonus, quia apparet ex terminis evidens; & sic iudicabitur esse bonus absque Logica artificiali; vel comparabitur ad regulam aliquam Logicæ, & videbitur esse illi conformis, & sic iudicabitur esse bonus syllogismus, ad quod conducit Logica docens, vt manifestum est, vel comparabitur ad aliquem syllogismum quem quis recordatur factum iuxta regulam aliquam Logicæ, quamuis non recorderetur regulæ in particulari: & iudicabit propterea eum esse bonum, & hoc iudicium fundabitur in Logica docente, quatenus est in memoria imperfecte. Itaque ad syllogismum factum hoc modo manifestum est non concurrere, nec iuuare aliam Logicam artificialem, quàm docentem.

Quod si fiat syllogismus cum præmeditatione ac delibera

beratione illum faciendi, tum aut deliberatio erit de faciendo aliquo syllogismo in *Darij* v. g. vel aliquo alio determinato modo ac figura, & non potest sic heri absque Logica docente, qua parte docet quomodo talis syllogismus sit conficiendus; nec alia Logica habitua- lis ad illum requiritur conficiendum. Aut deliberabitur de eo faciendo iuxta alium syllogismum, quam quis recordatur factum iuxta aliquam regulam, quæ tamen memoria determinatè non occurrat, & tum Logica docens, vt in memoria imperfecte, & nulla alia ad confectionem requiritur. *Vel denique* deliberabit quis facere syllogismum aliquem non determinando qualem, & ad huiusmodi deliberationem requireretur conceptus aliquis syllogismi, qui vel à nulla Logica artificiali proueniet, vel certe non nisi à docente vt manifestum est; & præterea non sufficit illa deliberatio vt fiat aliquis syllogismus determinatus, quia non magis vnus deberet fieri, quam quicunque; vnde determinatio debet aliunde prouenire; quod si tamen absque alia deliberatione fiat syllogismus aliquis determinatus, idem dicendum erit de eo, ac syllogismo facto absque deliberatione, in quem ostendi nullum esse influxum vllius Logicæ artificialis præter docentes; nec hunc esse ad confectionem, sed ad cognitionem rectitudinis ipsius In quo toto mihi certe nulla apparet difficultas.

*Patet quidem*, si quis frequenter faciat syllogismum in *Felapton*, eum habiturum facilitatem maiorem ad ipsum faciendum; sed illa facilitas oritur, vt saepe dixi, quantum spectat ad Logicam, à sola docente; dixi autem, quantum spectat ad Logicam, quia si fiat in materia aliarum scientiarum, illæ aliæ scientiæ etiam conducent. Quod maxime confirmatur quia si quis frequenter faciat syllogismum in *felapton*, vtendo litteris A. B. C. v. g. habebit facilitatem faciendi tales syllogismos, nec tamen habebit facilitatem tantam ad faciendum syllogismum in materia physica, aut aliqua alia, in qua non assuevit facere tales syllogismos; & è contra si quis assuefaciat facere syllogismum talem in aliqua materia reali, non habebit facilitatem tantam faciendi eum in illis litteris, vt manifestum est experientia; vnde patet illam facilitatem, quæ est in exercitio faciendi syllogismum, oriri ex facilitate, quam quis habeat in cognoscenda materia; & quod non oriatur ex Logica vrente, distincta realiter à docente. Quod vterius confirmo quia facilitas, quæ est ex Logica, est indifferens ex se ad omnes materias, ergo facilitas specialis, quam in vna materia quis experitur præ alia, non prouenit à Logica.

*Subiungit* *Mastrius* num. 66 aliud fundamentum suæ sententiæ, quia actus Logicæ vrentis generant aliquem habitum, & eum genitum augent; sed non habitum Logicæ docentes, quia non sunt scientifici ergo diuersum; quia si essent idem habitus, per actus Logicæ vrentis deberet augeri habitus docentes: habitus enim omnis augetur per suos actus. *Ad hoc fundamentum* dicit me negare consequentiam, & probationem eius. At ergo certe non soleo negare consequentiam boni syllogismi, qualis est ille, quem ipse hic proposuit; nec consequentia talis syllogismi probari debet, sed vel maior vel minor, vel vtraque, si probatione indigent; vnde neque negavi probationem eius, nec ipse etiam recte probauit ipsam.

Negavi quidem consequentiam difficultatis huius, vt à me proposita erat non in syllogismo, sed in enthymemate quod sic formaui: non augetur habitus Logicæ docentes per actus vrentis; ergo non est idem habitus vtriusque Logicæ, probavi etiam consequentiam, quia si esset idem habitus deberet augeri: habitus enim omnis augetur per suos actus. Difficultatis huius hoc modo proposuisti negavi consequentiam cum sua probatione; quia non debet habitus augeri per omnes actus suos, sed per eos, qui elicitur ab ipso procedunt; sic autem non procedunt ab habitu Logicæ docentes actus Logicæ vrentis; sed directiue tantum.

*Contra responsionem* hanc arguit *Mastrius*: si actus Logicæ vrentis directiue tantum procedat à Logica docente, debet sine dubio ab aliquo habitu elicitue procedere, aut ergo à Logica docente, & sic eum auget, quod negatur; aut ab alio habitu diuerso, & hic erit habitus Logicæ vrentis, & consequenter habitus Logicæ vrentis erit distinctus realiter à docente, quod est intentum ipsius, & directè contra meam doctrinam.

*Prò subtili* impugnationem! sed quam ipsemet *Mastrius*, si reflectere vellet supra meam doctrinam, posset facile elicere: Ego enim docui, & iterum doceo illum actum elicitue procedere ab habitu istius materiæ, in qua fit syllogismus, vt ab habitu physico, si fiat in Physica à Metaphysico si in Metaphysica. Quod si velit vocare *Mastrius* hos habitus, Logicam vrentem, nemo negat habitum Logicæ vrentis esse realiter distinctum à Logica docente; nec difficultas præfens est, an accipiendo Logicam vrentem pro habitu scientiæ, in cuius materia fit syllogismus, distinguatur realiter à docente, sed an præter habitum talis scientiæ & Logicæ docentes, detur alius habitus Logicæ, quod à me animaduersum posset facile videre *Mastrius* in hac ipsa questione, num. 60.

*Proponit tandem* aliud fundamentum eodem numero quia secundum me actus Logicæ docentes, & vrentis distinguuntur non solum realiter, sed specie: at ex hoc, inquit *Mastrius*, sufficiens deducitur ipsorum habituum diuersitas, quia habitus specificantur ab actibus, vnde actus specie distincti nequeunt prouenire ab eodem habitu, quo argumento, ait me vti hac disputatione numero centesimo. At imprimis non vtor illo argumento nisi ex suppositione diuersæ difficultatis, vt patet ex adiuncta mea confirmatione; & etiam ex suppositione quod diuersi actus procederent elicitue ab eodem habitu, vt patet ex responsione quam dedi ad hoc argumentum *Mastrij*, & quam ipse hic subiicit: quæ est quod actus diuersæ speciei possint prouenire ab eodem habitu, quando vnus procedit ab ipso elicitue, & alter directiue, vt patet ex actibus virtutum moralium, qui procedunt ab habitu prudentiæ directiue, & sunt diuersæ speciei ab actibus elicitis prudentiæ; quare non est verum quod habitus ita specificentur ab actibus, vt idem habitus non possit principiare diuersos specie actus, quando principiat aliquos elicitue & alios directiue.

*Hanc responsionem* impugnat *Mastrius* quia suum argumentum non vrget de processione actus in genere moris scilicet regulatiue & directiue; sed in genere Physico, nimirum elicitue: cum igitur, inquit, in hoc genere nequeant actus specie distincti ab eodem habitu prouenire, talesque sint actus Logicæ docentes & vrentis secundum me, plane fatendum est, quod in genere Physico, & elicitue à diuersis procedunt habitibus. Quod confirmat eodem exemplo prudentiæ respectu virtutum moralium; quia actus temperantiæ & prudentiæ, licet ab eodem habitu proueniant, vnus Physice & elicitue, alter regulatiue; tamen in genere Physico procedunt à diuersis habitibus.

*Sed contra hanc doctrinam* imprimis vrget quod non recte videatur *Mastrius* idem intelligere per processionem regulatiuam ac directiuam & processionem in genere moris, cum certum sit multos actus procedere directiue à facultatibus docentes, qui non sunt morales: sic enim bonus Musicus & Architectus ac Logicus mediante directione regularum quas cognoscunt eliciunt multos actus qui non sunt morales, & tamen procedunt directiue ab illis regulis, seu earum cognitione.

*Deinde* aduertere debuit me negauisse & negare quod actus Logicæ vrentis procedunt elicitue ab vlla Logica (excipio illos qui sunt in materia Logica) sed solum à facultate illa, aut scientia in cuius materia sunt isti actus. Vnde si argumentum ipsius procedat in genere Physico & elicitue

elicitivo, ut ipsius verbis utar, aut supponebat falsum aut petebat principium, supponendo aut asserendo quod actus logicæ procederet elicitive aut Physicè ab illa Logica, nisi vocando Logicam illam scientiam in qua sit usus Logicæ, quod non facit ad propositum.

Ad quod addo posse etiam actus diversæ speciei provenire ab eodem habitu; quando in iis elicendis non est diversa difficultas, sic charitas potest inclinare ad amandum Deum & proximum propter Deum, & ad detestandum peccatum, quatenus est offensa Dei, quamvis hi actus sint diversæ rationis, & hoc non solum verum existimo de habitu supernaturali, de quo certum est & sufficit mihi sed etiam de naturali. Unde quamvis actus Logicæ ventis provenirent Physicè & elicitive à Logica, adhuc provenire posset à Logica docente sic, nisi esset alia difficultas in eo elicendo; neque deberet augere physice illam Logicam, quia probabiliter loquendo illi actus soli debent augere habitum, in quibus est difficultas, nam propter difficultatem ponendi sunt habitus acquisiti: Nego autem ut sæpius feci, esse diversam difficultatem in elicendo actum Logicæ ventis ab ea, quæ est in cognoscendo, quomodo elici debeat quatenus eliceretur à Logica, si ab illa elici deberet.

QVÆSTIO VII.

Utrum Logica sit scientia.

67. Scientia quantum ad nostrum propositum hic capitur dupliciter, primò large pro quacumque notitia & cognitione intellectiva, & sic non quæritur utrum Logica sit scientia, quia certum est, quod sit. Secundò stricte pro notitia certa & infallibili per demonstrationem acquisita, & hoc modo accipitur scientia in proposito; quomodo autem acquiratur scientia per demonstrationem, ostendemus suo loco.

Ad asserendum autem quod ut Logica sit scientia, non est necesse quod omnis notitia, quæ per se pertinet ad Logicam, sit scientia in hoc sensu, quia sine dubio plurimæ opiniones, hoc est notitiæ probabiles, quæ non sunt certæ ac evidentis veritatis ad ipsam pertinent, imò plures sunt huiusmodi in ea, quam cognitiones scientificæ, nec hoc est ipsi peculiare, sed occurrit etiam in Philosophia, naturali, Metaphysica, & cæteris scientiis, imò est omnino necessarium, quod omnes notitiæ Logicæ non sint scientificæ in hoc sensu, quia ad quamcumque scientiam pertinet aliqua notitia scientifica, pertinet etiam notitia principiorum, ex quibus deducitur illa notitia scientifica illa autem notitia principiorum, cum non acquiratur per discursum, aut demonstrationem, non potest esse scientia, sed est intellectus secundum omnes, ergo necessarium est ut aliqua notitia Logicæ non sit scientia, stricte loquendo; nec credo de hoc posse esse controuersiam. Itaque sufficit ad hoc ut dicatur scientia, quod de obiecto suo aliquid scientificè, & per demonstrationem cognoscat: & in hoc sensu procedit quæstio.

CONCLUSIO I.

68. Logica Docens non solum quoad partem Analiticam, sed etiam quoad Topicam, & Sophisticam est scientia. Ita Scotus q. 1. Prædicabilem, & alibi. Videtur etiam D. Th. 2. Met. lect. 4. & communis contra Philoponum, Simplicium Ammonium, & alios antiquos.

Probat, quia multæ notitiæ comparatæ demonstratione per discursum quoad omnes illas partes pertinent ad Logicam per se, ergo erit scientia proprie dicta quoad illas partes. Consequentia est evidens, quia ut aliqua facultas dicatur scientia proprie dicta, nihil aliud requiritur, quam quod ad ipsam pertineant per se huiusmodi notitiæ; quod si aliquis requireret vllam aliam conditionem, non erit cum ipso nisi quæstio de nomine. Probat ergo antecedens: notitia quæ habetur in parte analitica priori de hac conclusione: omnis syllogismus factus in barbara concludit necessario, ex his principiis: omnis syllogismus constans tribus terminis taliter inter se

dispositis necessario concludit: talis est syllogismus factus in Barbara, ergo, est notitia certa & evidens, acquisita per demonstrationem. Similiter notitia quæ habetur in parte analitica posteriori de hac conclusione huius syllogismi: omnis syllogismus procedens ex primis veris & necessariis, causisque conclusionis est generativus scientiæ: talis est syllogismus demonstrativus, ergo syllogismus demonstrativus est generativus scientiæ, est notitia acquisita per demonstrationem. Præterea notitia quæ habetur in parte topica de conclusione huius syllogismi est talis notitia: omnis syllogismus procedens ex probabilibus generat opinionem, talis est Topicus, ergo &c. Denique talis est notitia habita in parte sophistica de conclusione huius syllogismi: nullus syllogismus, in quo sunt quatuor termini, aut in quo peccatur in modo aut figura, necessario & vi forme concludit: talis est syllogismus sophisticus, ergo non necessario concludit.

Confirmatur, quia nulla conditio requisita ad scientiam stricte loquendo deficit his & multis aliis notitiis Logicis, ut magis patebit in libris Posteriorum: ergo Logica quoad omnes has partes est scientia.

69. Obiicit primo: Logica est modus sciendi, ergo non est scientia. Confirmatur, quia secundum Philosophum absurdum est quætere simul scientiam & modum sciendi, ubi per modum sciendi intelligit Logicam.

Respondeo distinguendo antecedens: est modus sciendi obiectivè, concedo antecedens; formaliter, nego antecedens, & nego consequentiam, bene enim potest fieri quod illud, quod sit modus sciendi obiectivè, id est quod agit de modo sciendi tanquam de obiecto, sit in se scientia.

Ad confirmationem respondeo primo negando quod per modum sciendi intelligat Logicam, sed potius obiectum Logicæ, id est, syllogismum, & sic corrumpit difficultas.

Respondeo secundo, quantumvis intelligeret ipsam Logicam per modum sciendi, sensum tamen esse, quod non deberet Logica simul tradi cum aliis scientiis, v.g. Philosophia aut Metaphysica, respectu quarum esset modus sciendi, hoc autem non est contra nos.

70. Obiicit secundo: Aristoteles primo Rhetoricæ c. 4. ait: Si quis autem Rhetoricam aut Dialecticam non ut facultates, sed ut scientias instituere, ac docere conatur, is naturam earum interimere videtur. Ergo secundum Philosophum non potest Logica esse scientia, saltem quoad partem topicam, quam ibi nomine Dialecticæ significavit.

Respondeo sensum istius loci esse, vel quod Logica aut Dialectica non sit talis scientia, quæ doceat naturam sui obiecti tantum, & non etiam ostendat quomodo fieri debeat, & hoc in ordine ad ipsum conficiendum, quod verissimum est; sed tum neganda est consequentia, vel certe quod Dialectica, id est, pars topica Logicæ, non ostendat quomodo syllogismus scientificus sit conficiendus, qui necessario concludat conclusionem certam & infallibilem, sed potius quomodo conficiendus sit syllogismus probabilis qui conclusionem inferat probabilem tantum, & consequenter eos, qui vellent ita tradere Dialecticam in ordine ad inferendam conclusionem scientificam, omnino pervertere naturam ipsius. Et hæc videtur mihi germana prædictæ authoritatis expositio.

71. Obiicit tertio: scientia debet versari circa materiam aliquam certam & determinatam, sibi que propriam; sed Logica versatur circa res omnes iuxta eundem Philosophum. 4. Met. tex. 5. ergo non est scientia.

Respondeo distinguendo maiorem: circa materiam aliquam determinatam sibi que propriam taliter, ut prædicatur, quod scientia cognoscat de subiecto debet solum per illam scientiam cognosci, aut saltem mediū, quo utitur ad illud cognoscendum, concedo maiorem: taliter, ut de subiecto conclusionis scita non possit per alias scientias aliquid cognosci, negatur maior: certum est enim quod per Physicam possit cognosci de homine, quod sit mobilis, & per Metaphysicam quod sit unus; & iuxta hoc distinguo minorem: versatur circa res omnes cognoscendo

Omnes cognitiones spectantes ad scientiam non sunt scientiæ.

Logica est scientia quoad omnem partem.

Quotmodò logica quoad partem topicam non sit scientia.

Quotmodò Logica versatur circa res omnes modo parati.

cendo de ipsis prædicata, quæ per alias scientias de iis cognoscuntur, nego; cognoscendo prædicata, quæ ab aliis scientiis non cognoscuntur, concedo, & nego consequentiam.

72. *Obiicit quarto:* scientia est de necessariis, & de his quæ non fiunt à nobis: sed Logica est de syllogismo qui fit à nobis, & consequenter non est necessarius, ergo non scientia.

*Respondeo* distinguendo maiorem, ita ut non habeatur scientia de aliquo quod fit à nobis, nego maiorem: ita ut scientia illa non sit de ipso quatenus fit nobis; seu ita ut non cognoscatur de ipso per scientiam quod fiat à nobis, concedo maiorem, & distinguo minorem: fit à nobis quoad existentiam, & quoad existentiam non est necessarius, concedo minorem; quoad connexionem quam habet cum suis proprietatibus fit à nobis & non est necessarius, nego minorem & consequentiam, quia ut habeatur scientia de aliquo, non est necesse quod illud sit necessarium quoad existentiam; aut quod non fiat à nobis, sed sufficit quod habeat necessariam connexionem independentem à nobis cum proprietatibus, quæ per scientiam de ipso cognoscuntur.

*Obiicit quinto:* Non potest de syllogismo esse scientia, ergo Logica, quæ est de syllogismo, non est scientia. Probatur antecedens quia si de syllogismo in communi haberetur scientia, maxime per alium syllogismum, sed hoc non potest fieri, ergo. Probatur minor: quia vel ille syllogismus alius esset ignotus, vel notus; si ignotus, ergo potuit haberi per ipsum scientia de aliquo; si notus, ergo etiam syllogismus in communi erat cognitus, & consequenter esset notus antequam esset notus, quod implicat.

*Confirmatur*, quia ille alius syllogismus per quem haberetur scientia, deberet sciri per alium syllogismum, & sic daretur processus in infinitum.

73. *Respondeo* negando antecedens, & ad probationem dico quod haberi potest scientia de syllogismo ut sic per aliquem syllogismum particularem, qui esset notus seipso quantum ad hoc, quod euidenter concluderet, nam ut ait *Philosophus* 1. *Priorum* syllogismus perfectus de se notus est euidenter concludere, nec est necesse, ut per alium syllogismum probetur quod euidenter & certo concludat; & tamen non est necesse quod cognoscat illud ipsum competere naturæ specificæ, nisi utatur discursu ex quo colligat quod id ipsi conueniat, ut de se patet.

Per hoc etiam patet ad confirmationem.

*Obiicit ultimo:* Logica est ars: ergo non est scientia. Probatur consequentia, quia *Aristoteles* 6. *Ethic.* distinguit artem à scientia.

*Respondeo* negando consequentiam, & ad probationem dico quod ars distinguatur à scientia, non quod vnus, & idem habitus non possit esse ars & scientia, sed quod non secundum eandem rationem dicatur ars & scientia: dicitur enim scientia, quatenus inclinatur ad cognoscendum scientificæ naturam alicuius obiecti in vniuersali; dicitur vero ars, quatenus inclinatur ad faciendum aliquid singulare v.g. Logica, quatenus respicit syllogismum ut sic, naturam, dicitur scientia; dicitur vero ars quatenus inclinatur, & faciliat ad conficiendum syllogismum aliquem particularem hunc, vel illum.

#### CONCLUSIO II.

74. *Logica Vtens, ut talis est, non est scientia, siue loquatur de Logica Vtente actuali, siue de Logica Vtente habituali.* Est *Scoti* supra cum suis, & communis apud recentiores, qui identificant Logicam vtentem, & docentem.

*Probatur* Complures *scilicet* supra qu. 5. quia Logica dicitur Vtens respectu partis topicæ tantum: sed vsus in parte topicæ est tantum constructio syllogismi probabilis, aut apparentis, in quibus materia est incerta, ergo ut Vtens, non est scientia, quia scientia non inclinatur ad syllogismos probabiles. Sed ex dictis constat maiorem huius discursus esse falsam. Deinde supponunt quod, si diceretur Vtens quoad partem demonstratiuam, esset scientia quoad illam partem, quod etiam est falsum, ut iam patebit.

Quod etiam subiungunt dum quærentes quomodo habitus Logica, qui entitativus est scientia, possit elicere assensus probabiles, respondent rationem esse quod non repugnet habitum, qui versatur circa actus scientificos per se primo, versari secundo circa actus opinionis, eos eliciendo; tam falsum est quam principium cui innititur, nimirum sufficere, ad identitatem habitus circa plures conclusiones, quod similis sit abstractio à materia in illis conclusionibus, de quo postea.

Probatur etiam alius *Scotista* ratione qua, ut ait, utuntur recentiores, quia scientia versatur circa vniuersalia, Logica vero vtens versatur circa singularem constructuendum hunc syllogismum particularem, & illum &c.

*Sed contra*, quia eatenus Logica Vtens inclinatur ad conficiendum syllogismum in particulari, quatenus inclinatur ad conficiendum syllogismum ut sic, ergo versatur circa syllogismum ut sic, & consequenter non tantum versatur circa singularem, sed etiam circa vniuersalia. Itaque quemadmodum habitus, qui inclinatur ad cognoscendum, quod Petrus sit risibilis ex eo, quod sit homo, est scientificus, quia licet versatur circa singularem, id tamen est ipse per accidens, quia non versatur circa ipsum nisi ratione vniuersalis in ipso inclusi: cur similiter habitus, qui inclinatur ad conficiendum syllogismum in particulari, non esset scientificus, cum non versetur circa syllogismum in particulari, nisi per accidens ratione syllogismi, ut sic, in ipso inclusi.

75. *Probatur ergo aliter conclusio* de Logica actuali Vtenti, quia illa est constructio demonstrationis, aut syllogismi, aut definitionis, ut supra ostendimus: sed nullius syllogismi constructio est scientia, ut patet, cum sit ordinatio terminorum & propositionum, ex quibus conficitur syllogismus; ergo Logica vtens actualis non est scientia.

Ex hoc probatur conclusio de Logica Vtenti habituali, ut Vtens est, quia nullus habitus est scientia nisi secundum quod inclinatur ad actum scientificum, sed Logica vtens habitualis, ut talis, non inclinatur ad actum scientificum, sed ad constructionem syllogismi, propositionis &c. ergo non erit scientia.

Hinc colligitur quam male dicat *Auersa*, qu. 5. de Logica, *scilicet* 5. quod Logica vtens quantum ad partem demonstratiuam sit scientia, quia scilicet inclinatur ad demonstrationem, quæ demonstratio est scientia; nam falsum est quod demonstratio sit scientia, sed est illud quod generat scientiam, scientia enim est effectus demonstrationis, ut satis vulgatum est.

*Confirmatur*, quia demonstratio, ad quam faciendam inclinatur Logica, est etiam ipsa demonstratio obiectiua, ut supra ostendimus, qu. 1. sed certum est quod illa demonstratio non sit scientia, ergo Logica Vtens quantum ad partem demonstratiuam non est scientia.

76. *Obiicitur:* Est idem habitus vtiusque Logica Vtens & Docens: ergo si Logica Docens sit scientia, & Vtens etiam.

*Respondeo* negando consequentiam, quia quandoque aliquid respicit duos effectus, aut habet duo nomina distinctæ rationis, non est necesse quod id, quod conuenit ipsi, ut respicit vnum ex illis, conueniat ipsi ut respicit alterum. Quare cum idem omnino habitus Logica habeat inclinare ad cognoscendum naturam syllogismi & demonstrationis, & etiam ad illa conficienda, etiam si dicatur scientia, ut inclinatur ad primum: non est necesse ut dicatur scientia, quatenus respicit secundum.

#### QUESTIO VIII.

##### Utrum Logica sit scientia practica.

*Ex præcedenti questione* habemus Logicam esse scientiam: scientia autem ut sic diuiditur in practicam, & speculatiuam. Queritur ergo sub qua specie ex his continetur Logica: quoniam autem huius difficultatis solutio ab intellectione praxis pendet, nam sine dubio illa scientia est practica, quæ dirigit praxim, ostendendo quomodo fieri debeat; & illa est speculatiua, quæ non dirigit praxim: prius quid sit praxis ostendendum est, & deinde decidenda questio.

Quid

Quomodo obiectum scientiæ debet esse necessarium, & non factibile.

Quomodo potest haberi per syllogismum de syllogismo scientia.

Vnus habitus potest esse scientia & ars.

Logica Vtens ut talis non est scientia.

Alia probatio.

Reiicitur.

Logica vtens etiam quantum ad partem demonstratiuam non est scientia.

Quid  
praxis.

Quid sit praxis.

77. Dicendum est cum Doct. q. 4. Prolo. n. 3. quod praxis sit actus alterius potentie ab intellectu naturaliter posterior intellectione naturæ elici conformiter ad dictamen rationis. In qua definitione ponitur actus tanquam genus, in quo convenit praxis cum speculatione, quæ etiam est actus; reliqua ponuntur ut differentia; & dicitur quidem quod sit alterius potentie ab intellectu, ad excludendos ipsosmet actus intellectus: dicitur naturaliter posterior intellectione, ut excludantur actus potentie nutritivæ & vegetativæ, qui cum ut fiant, non necessarîo prærequirunt intellectiōem vllam, non sunt naturaliter posteriores intellectiōe, hoc est ex natura sua præsupponentes intellectiōem, quamvis per accidens præsupponerent ipsam tempore.

Dicitur naturæ elici conformiter ad rationem, ad excludendas omnes actiones cuiuscunque potentie & quomodocunque præsupponentes vel non præsupponentes intellectiōem, quæ non peterent elici conformiter ad dictamen rationis.

Hæc descriptio praxis admittitur non solum à Scotistis omnibus, sed etiam à Thomistis communiter, quos citant & sequuntur. Complutenses dist. 1. proem. q. 6. & non habet aliam difficultatem, quam quod dicat praxim debere esse actum alterius potentie ab intellectu. Quoad hoc autem probatur ex communi axiomate, quod intellectus extensione sit practicus, hoc est tendendo extra se: sed hoc esset falsum si praxis posset esse actus intellectus, quia dirigendo actum talem non deberet intellectus tendere extra se, ut patet.

Intellectus  
autem ex  
tensionem  
sit practicus.

78. Hurradus & alij recentiores, qui propter istam particulam potissimum negant hanc definitionem praxis esse bonam, dicunt prædictum axiomam, nimirum quod intellectus extensione fiat practicus, nec esse Philosophi, nec vllius celeberris Doctoris, & propterea non esse magni faciendum. Verum quam hoc falsum sit, patet, quia præterquam quod Scotus ipse satis celebris sit, certe D. Tho. eodem dicendi modo vitur q. 14. de veritate dicens: Intellectus practicus idem est quod operativus, unde sola extensio ad opus facit aliquem intellectum esse practicum. Deinde quamvis in terminis non reperiatur in 3. de anima, ex quo citat illud Scotus, tamen ex cap. 10. tex. 50. istius libri colligi potest, quia ibi dicit intellectum practicum esse illum, qui est principium agendi. Sed hoc non potest intelligi sic, ut sensus sit, quod sit principium agendi actione intellectiva, quia intellectus etiam speculativus est, principium agendi tali actione, ergo sensus est quod sit principium agendi actione alterius potentie. Fatemur quidem posse intelligi hunc locum sic, ut sensus sit quod intellectus practicus sit principium agendi non quomodocunque, sed ostendendo quomodo aliquid recte fieri possit, in cuius actione error posset contingere, & si sic intelligeretur, non colligi inde quod intellectus practicus necessario debeat esse principium agendi actione alterius potentie, quia quamvis esset principium agendi actione intellectiva, distingueretur tamen à speculativo intellectu, quia hic non esset principium agendi tali modo, nimirum ostendendo quomodo actio, cuius esset principium, recte fieri posset, tamen cum S. Thom. Scotus, & expositores veteres communiter intellexerint illum in sensu à nobis proposito, sic potius intelligi debet.

79. Hinc Doctor supra deducit nullum actum, aut operationem posse esse praxim præter actum elicito voluntatis, qui scilicet ab ipsa immediate in seipsa producit, vel imperatum, qui scilicet ab alia potentia immediate producit imperante voluntate, ut scriptio, ambulatio. Verum si actus imperatus voluntatis posset esse praxis, quandoquidem voluntas posset imperare intellectui, ut studeat, & consequenter studium illud, seu cognitio intellectus, quæ imperaretur esset actus imperatus à voluntate, videretur sequi quod actus intellectus posset esse praxis, & quod consequenter male possumus sit in definitione praxis, quod debeat esse actus alterius potentie ab intellectu.

An actus  
intellectus  
posset  
esse  
praxis  
imperata.

Respondent multi Scotista, præsertim Antonius Andreas, Rada, Smising Vulpes, in prologo sententiarum, licet nihil possit esse praxis, nisi actu elicito, vel imperato à voluntate, non tamen omnem actum imperatum à voluntate esse praxim, sed eum tantum, ad quem intellectus posset se extendere, unde cum non possit extendere se ad suos actus, nullum actum intellectus posse esse praxim, quantumvis imperetur à voluntate.

Sed contra: omnis actus, ad quem dirigendum inclinat prudentia, est praxis, quia prudentia secundum omnes est habitus practicus, talis autem non inclinat nisi ad praxem dirigendas: sed prudentia inclinat ad studendum, & cognoscendum tali vel tali tempore, loco, vel modo, ergo studium, & cognitio possunt esse praxes.

Confirmatur, quia cognitio imperata à voluntate potest esse bona, & meritoria quandoque, & quandoque mala ac demeritoria, ergo potest esse praxis, quia sine dubio omnis actus virtutis & vitij est praxis, & omnis actus bonus, & malus, moraliter est actus virtutis & vitij.

80. Itaque propter hanc replicam existimo actum intellectus posse esse praxim imperatam. Quam sententiam ex Scotistis amplectuntur Caellus, Faber, Bargius, Lycheus, Mastrius & Camerarius; quem miror citari pro opposito à Mastrio; nego tamen consequentiam obiectionis, nimirum inde sequi, definitionem praxis supra positam esse malam, quia ille actus intellectus, ut imperatus, est actus alterius potentie, & ut sic tantum habet esse praxis.

Verior  
resolutio.

Actus intellectus  
ut imperatus  
est alterius  
potentie  
ab intellectu.

Est obijciatur difficilis locus Scoti ex quæst. 4. prologo num. 4. valde favens Scotistis oppositum huius nostre doctrinæ tenentibus: Cum igitur dicitur, intellectus est imperata à voluntate, ergo est praxis, non sequitur. Vbi negat eandem consequentiam, quam negant illi Scotista.

Mastrius respondet ex Lycheo Scotum non loqui de omni intellectiōe imperata: sed de ea quæ est etiam regula praxis, nam omnis talis cognitio licet imperata, tamen est sine dubio practica.

Obiectio  
ex  
Scoto.

Verum hæc responsio nullo modo placet primò, quia si vlla cognitio imperata potest esse praxis, etiam & talis cognitio, nec refert quod etiam sit practica; quia bene potest esse practica, ut dirigit aliam praxim, & praxis, ut dirigitur ab alia cognitione practica, & ut imperatur à voluntate sequente talem cognitionem, nec ex his denominationibus vna potius quam altera debet simpliciter ipsi competere.

Secundò: quia intentum obiectionis, cui responderet Scotus, erat probare, quod aliquis actus intellectus esset praxis, nec debebat probare, quod omnis actus intellectus esset talis, imò id esset manifeste falsum, quia primus actus intellectus præcedens omnem actum voluntatis non potest esse praxis: unde si Scotus responderet negando aliquas tantum esse praxes, non responderet ad propositum.

Per quod etiam patet non bene ab aliis Scotum explicari de actu intellectus specificatiue secundum se, non vero reduplicatiue, ut imperatus est, quia obiectio agit de eo, ut est imperatus, intendit enim probare, quod si alij actus ut imperati sint praxes, quod idem dicendum sit de actibus intellectus.

Aliorum  
responsio  
reijcitur.

Patet etiam similiter non satisfacere alios, explicantes ipsum sic, ut velit solum negare cognitionem esse praxim, quia ut plurimum non imperatur à voluntate: quia obiectio non intendebat eam esse praxim, nisi quando imperabatur; unde si tunc esset praxis, quamvis communiter non esset praxis, quia communiter non imperatur, male negaret consequentiam.

Etiā  
aliorum.

Si itaque existimo Scotum, dum negavit illā consequentiam, accepisse praxim in magis rigorosa acceptione quā communiter accipitur, sic scilicet ut pro tali habendus esset solus ille actus, & qui haberet secundū se esse alterius potentie ab intellectu, & qui præterea esset vel elicito, vel imperatus à voluntate, quarum conditionum altera si deficeret, non esset praxis in illo rigore, quamvis alia posset esse praxis, prout communis accipitur praxis, quod

Verā  
respon-  
sio.

modo etiam possunt explicari prædicti Scoristæ & iuxta hanc explicationem potest intelligi quomodo verum sit, quod in eodem n. 4. dicit Scotus, nempe quod inferre ex eo, quod actus intellectus sit imperatus voluntatis, quod sit praxis, & consequenter praxim non debere esse actum alterius potentie ab intellectu, sit committere fallaciam consequentis; committere enim fallaciam consequentis est quando ex consequenti inferretur antecedens, ut ex animali homo; capiendum autem praxim in hoc rigore, talis committeretur hic: est actus imperatus aut elicitus voluntatis, ergo praxis: quia actus elicitus aut imperatus est consequens ad praxim, non verò antecedens; sequitur enim est praxis, ergo actus elicitus vel imperatus à voluntate, sed non sequitur: est actus imperatus à voluntate, ergo praxis, ut patet capiendum praxim in illo rigore. Quod totum addo magis ad intelligendum locum illum difficilem Doctoris, quam quod ad præsentis difficultatis resolutionem sit necessarium.

*Solutio questionis.*

In hac questione quatuor sunt sententiæ: prima Zabarelli, & quorundam recentiorum, Logicam nec speculative esse, nec practicam. Secunda Hurtadi disp. 2. Log. sect. 1. Ruy 9. 5. proem. Vasquez 1. p. disp. 8. c. 5. & disp. 9. c. 3. & aliorum, eam esse speculative & practicam. Tertia Occami, Aureoli, Fonseca, quos citat & sequitur Auerfa, eam esse practicam. Quarta denique communior Scoristarum & Thomistarum cum Scoto supra & D. Th. 1. 2. q. 57. art. 3. & aliis locis eam esse merè speculative.

CONCLUSIO I.

82. *Logica debet esse vel speculativa vel practica.* Est communis contra Zabarellam ac authores primæ sententiæ. Probatur efficaciter, quia omnis scientia, & noticia debet esse vel directiva praxis, vel non directiva, ergo & Logica; sed si sit directiva, erit practica, quia nihil aliud est scientia, aut notitia practica quam esse directivam praxis; & si non sit directiva, erit speculativa, quia nihil aliud est scientia, aut notitia esse speculative, quam non esse directivam praxis: ergo cum Logica debeat necessario esse, vel directiva, vel non directiva praxis debet etiam necessario esse vel practica, vel speculativa. Nec apparet quomodo vis huius discursus aut vitari aut eludi possit, nisi fugiendo aliquam particularem rationem scientiæ practicæ & speculative contra communem acceptionem istorum nominum, & sic reducendo difficultatem ad questionem de nomine, in qua semper melior est conditio sequentium communem dicendi modum præsertim inter doctos, nisi inde sequatur aliquod inconueniens, quale non sequitur in proposito ex acceptione communi supra posita scientiæ speculative & practicæ, quæ propterea cuiusque particulari acceptioni præferenda est.

*Obiicit: Aristoteles 1. Topicar. c. 9. & 12. distinguit tria genera problematum, quædam scilicet speculative, quædam practica, & quædam illis duobus adminiculantia, per quæ intelligit problemata Logica: ergo ex mente ipsius Logica non erit speculativa, nec practica, quia alias male Philosophus distingueret problemata Logica à speculative & practica.*

*Respondet per problemata speculative Philosophum intelligere problemata pertinentia ad scientiam realem speculative, quatenus scilicet scientia realis opponitur scientiæ rationali, qualis est Logica; per problemata practica intelligit problemata spectantia ad Moralem; & denique per problemata utriusque adminiculantia, intelligit illa, quæ spectant ad scientiam rationalem. Itaque non intendit quod problemata Logica non sint speculative, aut practica, sed quod non sint speculative pertinentia ad scientias reales, nec practica pertinentia ad scientiam moralem: cum hoc tamen bene posset fieri quod essent simpliciter speculative, aut practica; unde in forma negatur consequentia; & distinguitur eius probatio: si intelligeret per hoc, quod illa non essent specu-*

lativa aut practica vilo modo, concedo; si intelligeret tantum quod non essent speculative aut practica pertinentia ad scientiam moralem aut realem, nego.

CONCLUSIO II.

83. *Logica secundum omnem partem sui est speculativa, & secundum nullam practica, & consequenter non est simul speculativa & practica.* Hæc est iuxta authores quartæ sententiæ contra reliquos omnes, & videtur fuisse extra controuersiam tempore Scoti, quia qu. 4. prologi num. 3. eam supponit tanquam certam, ex eaque, absque ulla ratione supposita inferi vnam ex conditionibus praxis, quod indicat eam fuisse tum apud omnes receptam.

*Probari solet primò argumento satis communis: scientia practica ut sic adæquate diuiditur in actiuam & factiuam, sed Logica non est nec factiua, nec actiua per se, ergo. Probatur minor, quia non factiua, quandoquidem non relinquit post se vllum opus externum, quale debet relinquare scientia practica factiua secundum omnes: non etiam actiua quia secundum Philosophum 6. Ethic. c. 10. scientia actiua versatur circa actiones, quarum principium est electio, & propterea idem Philosophus 6. Met. c. 1. ubi diuidit scientiam practicam in actiuam & factiuam, agens de scientia practica actiua, ait idem esse agibile & eligibile: sed manifestum est electionem pertinere ad voluntatem, ergo scientia practica actiua agit per se de actibus voluntatis: Sed Logica non agit de actibus voluntatis, ergo non est scientia practica actiua.*

*Verum hæc probatio non videtur sufficere, quia negari posset minor quoad secundam partem; Logica enim agit de constructione syllogismi, cuius constructionis electio est principium, neque enim facimus syllogismos artificialiter nisi volentes, quod sufficit ut dicatur Logica versari circa actiones, quarum principium est electio, nec est necesse ut ipsa Logica agat de illa electione ulla ratione.*

84. *Dices cum Complutensibus: si sufficeret ad scientiam practicam agere de actibus, quorum principium est electio, tum Metaphysica esset practica quia agit de cognitionibus, quas non habemus, nisi quando volumus.*

*Contra, quia ad scientiam practicam requiritur quod cognitiones, circa quas inclinatur, versentur circa obiectum agibile, quod non agitur nisi volente & eligente voluntate: sed hoc non conuenit Metaphysicæ, quia licet cognitiones, ad quas inclinatur, dependere possint à voluntate, tamen illæ cognitiones non præstibunt modum faciendi aliquid quod fieri solet mediante voluntate. Hoc autem conuenit Logicæ, unde sine dubio est prior ratio dicendi quod Logica sit practica, quam Metaphysica, aut Physica.*

*Probari solet secundo communiter, quia finis scientiæ practicæ est opus, speculative verò veritas; sed finis Logicæ quoad omnem partem est veritas, ergo est speculativa. Probatur minor, quia si esset aliqua pars Logicæ, cuius finis esset opus, & non veritas, maxime illa pars, quæ ostendit quomodo syllogismus sit conficiendus: sed illa pars habet pro fine veritatem, quia ideo facimus syllogismum, ut per eum tanquam per instrumentum cognoscamus naturas rerum, ergo nulla pars Logicæ est, quæ non habeat pro fine veritatem; & hoc loquendo de fine operis secundum se, & non de fine operantis, qui potest esse multiplex pro arbitrio suo, ut patet.*

*Confirmatur, quia licet Mathematica ostendat quomodo triangulus sit conficiendus, tamen non habet pro fine opus, sed veritatem, & consequenter non dicitur practica, sed speculativa, quia intendit confektionem trianguli in ordine ad veritatem: ergo similiter quauis Logica ostendat quomodo syllogismus sit conficiendus, non tamen debet dici habere pro fine opus & non veritatem, nec esse practica, quia intendit illam confektionem in ordine ad veritatem cognoscendam.*

85. *Sed neque hæc etiam probatio concludit, responderi enim potest distinguendo maiore: finis proximus scientiæ practicæ est opus, non veritas, concedo; remotus, nego: & similiter distingui potest minor cum minori suæ probationis: sed finis proximus Logicæ est veritas, negatur;*

Logica est secunda omni sui parte speculativa.

Sententia dicitur.

Logica debet esse vel speculativa vel practica.

Quid finis scientiæ practicæ sit opus.

negatur; remotus, conceditur. Itaque verus sensus istius axiomatis, nimirum quod finis speculatiua sit veritas, practica vero opus, posset dici esse, quod scientia speculatiua nihil aliud proxime intendit, nec ad aliud ex se proxime ordinatur, quã vt cognoscat veritatẽ sui obiecti, seu naturã eius & proprietates, non curando de existentia eius, nec de modo ipsum conficiendi, scientia autẽ practica proxime intendat confectionem sui obiecti, & modũ ipsum producendi: vnde cum certũ sit quod Logica intendat directe & proxime confectionem syllogismi ac demonstrationis, quã sunt obiecta eius, tradatq; modum ea faciendi, potest optime dici habere pro fine opus & nõ veritatem tantum: quod autem vterius illud opus ordinetur ad alias veritates cognoscendas, impertinens est ad Logicam: & certe si sciamus ordinaretur per se essentialiter ad acquisitionem scientiarum, non propterea diceretur scientia tradens modum illud faciendi esse speculatiua; sicut nec de facto Medicina, quã tradit modum recuperandæ memoriæ, & disponendi caput in ordine ad acuendum ingenium, dicitur speculatiua, licet recuperatio memoriæ & acumen intellectus ordinentur ad scientias habendas.

Præterea ideo finis Logica dicitur esse veritas, quia agit de instrumento scientiarum speculatiuarum, quorum finis est veritas: sed agit etiam de instrumento scientiarum practicarum, quarum finis est opus, ergo potest dici habere pro fine opus.

Nec refert quod ad hoc respondent Complutenses, syllogismum, de quo agit Logica, & quod est instrumentum scientiæ, non esse instrumentum scientiæ practicae, vt practica est, sed vt scientia. Quia præterquam quod hoc sit falsum, adhuc contra est, quod si non agat de syllogismo, vt est instrumentum scientiæ practicae vt sic, non agit de syllogismo, vt est instrumentum scientiæ speculatiua, vt speculatiua est, & sic non erit speculatiua sicut non erit practica.

86. Ad confirmationem respondetur, scientiam Mathematicam, quã habetur de natura trianguli, non esse practica, quia non offendit ad quate, quomodo triangulus aliquis fieri possit, licet conducat in ordine ad illum faciendũ; sicut nec scientia Physica, quã habetur de cõtrarietate frigoris & caloris dicitur practica, quãvis conducat in ordine ad cognitionem practicae medicæ, quã cognoscit, medicus, quomodo excessũ caloris impediẽtem sanitatem expellere possit per applicationẽ casuarũ frigidarum. Vnde argumentum potest retorqueri: scientia, per quam artifex scit modum conficiendi triangulũ ex ligno, est practica, quamuis vtatur aliquo principio, vel cõclusionẽ mathematicam in ordine ad illum faciendũ, & scientia medica est similiter practica quã cognoscit medicus quomodo possit expellere calorem, quamuis vtatur ad hoc cõclusionẽ physicam, iuxta illud principium vulgare; vbi definit Physicus, ibi incipit Medicus; ergo si scientia Logica sit talis, qualis est scientia cõfectiua trianguli, erit practica, & non speculatiua.

Quod si etiam Mathematica qua parte ostēderet modum conficiendi trianguli, non esset practica, hoc non esset ex eo quod triangulus ordinaretur, tanquam instrumentum ad acquirendam scientiam aliam, sed ex eo quod scientia illa, quatenus Mathematica, per accidens respiceret istam confectionem: vnde cum Logica per se consideret modum conficiendi syllogismum, sequitur quod esse posset practica, quamuis scientia illa Mathematica non esset practica.

87. Probatũ ergo aliter conclusio quoad primam & secundam partem, quia Logica in nulla parte dirigit actum alterius potentiæ ab intellectu, quia in omnibus dirigit actus intellectus, ergo secundum nullam partem dirigit praxim, & consequenter secundum nullam partem erit practica: sed ex prima cõclusionẽ, si non sit practica secundum vllam partem, debet esse speculatiua secundum omnem partem, vt patet, ergo &c.

Dices, actus intellectus, licet secundum se spectati non sint actus alterius potentiæ ab intellectu, tamen vt imperati à voluntate sunt actus alterius potentiæ, vt supra

n. 80. concessum est: ergo ex eo quod Logica consideret in omnibus partibus actus intellectus, non sequitur quin consideret praxim.

Contra, si actus intellectus secundum se non sit praxis, sed tantũ quatenus imperatur à voluntate, ergo scientia, quã agit de ipso secundũ se, & non secundum quod imperatur à voluntate, nõ erit practica: sed Logica agit de actibus intellectus secundũ se eos dirigẽdo secundũ se in omnibus suis partibus, ergo sequitur quod Logica secundum nullam partẽ sui considerat praxim, eam dirigẽdo.

Dices secundo: ars domifactoria considerat cõstructionem domus secundum se, & non actum voluntatis, quo imperatur, sed hoc non obstante dicitur practica ex eo, quod ista cõstructio in esse suo dependeat à voluntate; ergo quamuis Logica consideret & dirigat cõstructionem syllogismi secundum se, tamen quia ipsa cõstructio dependet in esse à voluntate, debet dici practica. Probatũ minor, quia ideo dicitur ars domifactoria practica, quia considerat & dirigit praxim: sed ideo ista cõstructio, quam respicit & dirigit, dicitur praxis, quia dependet à voluntate: ergo ideo dicitur ista ars practica, quia dirigit aliquid dependens à voluntate.

88. Respondetur distinguendo minorem: ideo præcise & totaliter, negatur minor, ideo partialiter, cõceditur minor, & negatur consequentia; quia licet cõstructio syllogismi conueniat cum cõstructione domus in hoc, quod vtrique sit dependens à voluntate, tamen nõ conueniunt in alia ratione, secundũ quam cõstructio habet partialiter esse praxis, nimirũ in hoc quod sit secundũ se actus alterius potentiæ ab intellectu. Itaque illud quod secundũ se est actus alterius potentiæ ab intellectu, & præterea imperari potest à voluntate, potest dirigi per cognitionem practica, & secundum se, & secundum quod imperatur: quod autem non est actus alterius potentiæ ab intellectu, non potest dirigi per cognitionem practica secundum se, sed tantum secundum quod imperatur à voluntate, & in hoc est disparitas vtriusque.

Replicabit: nihil potest dirigi per cognitionem practica, nisi quod est praxis, sed nullus actus nisi qui est voluntatis, secundum se est praxis, ergo falsum est quod actus alterius potentiæ ab intellectu & voluntate possit secundum se dirigi à cognitione practica.

Respondetur negando minorem; quia licet nullus actus sit praxis præter actus elicitos vel imperatos à voluntate, tamen aliqui actus imperati à voluntate sunt praxes secundum se, & non tantum secundum quod imperantur formaliter.

89. Obiicit: Philosophus diuisit scientiam speculatiua vt sic, ad quate in Physicam, Metaphysicam & Mathematicam; ergo Logica non est speculatiua; quia alias cum non continetur sub vllõ membro ex illis tribus, diuisio non esset ad quata.

Respondetur distinguendo antecedens: scientiam speculatiua realem, prout scientia realis opponitur scientiæ rationali, conceditur antecedens; scientiam speculatiua vt sic, comprehendentem tam reales, quam rationales scientias, negatur antecedens cum consequentia, & sua probatione.

Obiicit secundo, scientiæ speculatiua quæruntur tanquam quid per se honorabile & appetibile; sed Logica quæruntur tanquam vtile tantum in ordine ad alias scientias acquirendas: ergo non est speculatiua.

Respondetur primò distinguendo maiorem: reales, transeat, rationales negatur; & concessa minori, negatur consequentia.

Respondetur secundo, negando minorem, quia quamuis non esset vtilis ad alias scientias, tamen esset per se appetibilis.

Ex his patet tertia pars cõclusionis, nimirum quod Logica non est simul speculatiua, & practica, quia si secundum nullam partem sit practica, non potest esse speculatiua & practica.

Alij probant hanc partem primò, quia scientia vt sic ad quate diuiditur in scientiam speculatiua & practica tanquã in suas species: ergo non potest vlla scientia esse

Logica agit de actibus intellectus sed non quatenus imperatur.

Cũ cõstructio domus sit praxis non vnde syllogismus.

Refellitur responsio Compl.

Scientia cõfectiua trianguli est practica.

esse simul speculatiua & practica. Probatur consequentia, quia ex eo quod animal adæquate diuiditur in rationale & irrationale, non potest vllum animal esse simul rationale & irrationale; ergo si scientia vt sic sit adæquate diuisa in practicam & speculatiuam, non poterit vna scientia esse speculatiua & practica.

*Respondet Ruyus*, hinc tantum sequi quod nulla scientia possit simul esse speculatiua & practica formaliter, non tamen quin possit esse speculatiua formaliter, & practica virtualiter, aut practica formaliter, & speculatiua virtualiter.

*Sed hac responsio est mera euasio* verbalis, quia quidquid probat scientiam aliquam esse practicam aut speculatiuam virtualiter, probat eam esse talem formaliter: & deinde conclusio est, Logicam non esse practicam & speculatiuam formaliter, & id est quod probatur hac probatione.

*Præterea*: ex eo quod animal vt sic adæquate diuidatur in rationale & irrationale, inferitur, nullum vnum animal posse esse simul rationale formaliter, & irrationale virtualiter, aut è contra; ergo ex eo quod scientia vt sic, adæquate diuidatur in practicam & speculatiuam, sequitur nullam vnam scientiam esse simul practicam formaliter, & speculatiuam virtualiter, aut è contra.

*Probat secundum*, quia scientia nõ potest dirigere quomodo praxis possit fieri, & nõ dirigere quomodo possit fieri: sed vt esset practica & speculatiua simul deberet hoc facere, quia per scientiam practicam intelligitur scientia, quæ dirigit praxim, & per scientiam speculatiuam, quæ non dirigit, ergo nulla scientia potest esse practica & speculatiua simul, & consequenter nec Logica.

Quæ vna scientia nõ potest esse simul practica & speculatiua.

*91. Sed ad has duas probationes responderi potest* dicendo quod cõcludant de qualibet sciẽtia partiali vna numero versata circa vnum particulare obiectum, non tamen de scientia totali cõplectente multas particulares sciẽtias habentes distincta numero & specie obiecta; quia in huiusmodi scientia posset vna pars dirigere praxim, & esse practica consequenter, & alia pars per se non dirigere; & consequenter esse speculatiua.

Nec tollit difficultatẽ, quod diuisio scientiæ in speculatiuam & practica, in qua fundatur prima probatio, sit diuisio scientiæ totalis, & nõ partialis scientiæ secundum omnes. Quia ex hoc tantum habetur quod nulla scientia totalis sit speculatiua & practica: cum hoc tamen posset stare quod scientia totalis practica includeret aliquam scientiam particularem speculatiuam; neque enim esset necesse propterea scientiam totalem illam debere dici speculatiuam; scientia enim totalis deberet dici speculatiua, quia secundum nullam partem sui dirigeret praxim, & scientia totalis deberet dici practica, quæ secundum aliquam partem sui dirigeret praxim.

*92. Deinde posset dici* quod sciẽtia vt sic adæquate diuisa, esset scientia realis, pro vt scientia realis opponitur scientiæ rationali; sicut qui tenent Logicam nõ esse practicam, respondent dicentibus Philosophum diuissse scientiam speculatiuam adæquate in Physicam, Mathematicam & Mathematicam, & inde concludentibus Logicam non esse speculatiuam: si hoc autem esset verum, tum non sequeretur præcisẽ ex vi istius diuisionis quod scientia rationalis, qualis est Logica, non posset esse practica & speculatiua.

Quænis scientia vt sic adæquate diuideretur in practica & speculatiuam, vna scientia posset habere utraq; rationem. Non ex diuisione adæquate

Uterius secundum Thomistas ens adæquate diuiditur in decẽ prædicamenta, & tamen ex hoc non sequitur secundum ipsos, quin idẽficerent realiter res, quæ ponuntur in diuersis prædicamentis. Similiter secundum Scotistas potentia rationalis vt sic adæquate diuiditur in memoriã, intellectũ & volũtatẽ, & tamẽ nõ sequitur secundum ipsos quin intellectus & voluntas idẽficerentur; ergo quænis scientia vt sic, diuideretur adæquate in scientiam speculatiuam & practicam, non sequeretur quin scientia speculatiua, & practica posset idẽfificari realiter, sed sufficeret quod distinguerentur formaliter.

*93. Et hinc responderi potest* ad illud exemplũ de diuisione animalis in hominem & brutũ; quod nõ ex diuisione præcisẽ oriatur, quod eadem res non possit esse

homo & brutum, aliàs sequeretur quod eadem res non posset realiter esse intellectus & voluntas, aut diuersorum prædicamentorum; sed oritur vel ex ratione particulari talis diuisionis, quod fiat in membra realiter distinctas, vel ex ratione particulari extremorum, qualis ratio particularis posset negari in diuisione proposita aut in membris eius.

*Quod si dicatur*, in scientia totali considerari debere obiectum principale, seu attributionis practice vel speculatiue, & si consideretur speculatiue, non esse necessarium, vt aliquid in tota scientia consideretur practice, & consequenter totam scientiam quoad omnes partes debere esse speculatiuam: si vero consideretur practice, non esse necesse, vt aliqua pars ipsius consideret aliquod obiectum speculatiue, & consequenter; totam scientiam esse debere practicam necessariũ.

*Contra est*, quod sæpe cognitio speculatiua conducat ad habendam cognitionem practicam, nec tamen practica dicenda sit, vt patet ex cõclusionẽ Philosophiæ naturalis, quæ est secundum omnes speculatiua, & tamen assumitur pro principio in Medicina ad probandam cõclusionem medicam practicam, & ad hoc etiam adeo necessaria est, vt si non probaretur in Physica, deberet in Medicina probari, vt demonstraretur conclusio medica ab ea dependens, ergo vt aliquod obiectum cõsideretur practice, potest dependere à cognitione speculatiua.

*94. Dices*: aliud est, quod dependeat à cognitione speculatiua, aliud est, quod illa cognitio speculatiua pertineat ad scientiam totalem, quæ versatur circa tale obiectum.

*Contra*, quia eo ipso quo necessario requiritur ad cognitionem talis obiecti, debet pertinere ad scientiam totalem istius obiecti, sicut cognitio principiorum pertinet ad scientiam totalem; ad quam pertinent conclusiones inde deductæ, & scientiæ partium pertinent ad scientiam totalem, quæ versatur circa totum.

*Dices*: hinc sequeretur quod cognitio Philosophiæ naturalis, quæ necessario requiritur ad conclusionem medicam deducendam, per se pertineret ad scientiam medicam, & consequenter esset practica; sed hoc est falsum, cum supponatur esse Philosophia naturalis & speculatiua.

*Respondetur* negando minorem, quia propter illam ipsam instantiam posset quis probabiliter dicere quod eadẽ cognitio posset esse speculatiua & practica respectu diuersarum conclusionum, quæ ex ipsa deduci possunt.

*Confirmatur* tota hæc solutio contra Thomistas, quia secundum ipsos Theologia, quæ est vnus simplex habitus, est partim speculatiua & practica: ergo aliqua scientia vna totalis potest esse partim speculatiua, & partim practica.

*95. Respondebis iuxta Complutenses d. 1. q. 6. n. 64.* distinguendo consequens: aliqua scientia vna naturalis inferioris ordinis, negatur; vna scientia supernaturalis superioris ordinis, conceditur.

*Sed contra*, quia quod scientia sit superioris ordinis vel inferioris nihil prorsus facit ad propositum, nã superioritas Theologiæ supra scientias naturales nõ desumitur ex eo, quod possit respicere rationes formales distinctas, sed ex eo quod innitatur principiis supernaturalibus & certioribus, quã sint principia scientiarum naturalium.

Quod etiam addunt in eodem n. ad ostendendum, eundem habitum non posse versari circa obiectum practiciũ & speculatiuum; nimirum quod quando duæ rationes respiciuntur à duabus potentiis adæquate, non possint secundum easdem rationes respici ab aliqua tertia potentia, sicut sonus & color ex eo quod secundum proprias rationes respiciuntur adæquate à potẽtia visiva & auditiva, nõ possunt adæquate respici ab vlla tertia potentia: hoc in quã totũ falsum est, nã certũ est intellectũ posse intelligere sonum secundum propriam rationem, quæ percipitur ab auditu, & colorem secundum propriam rationem, secundum quam percipitur à visu; alias non possemus declarare istas rationes, nec ostendere quomodo differat inter se. Sed de hoc alias: nec sequeretur

animalis in rationale, & irrationale sequitur idẽ animal non posse esse rationale & irrationale.

Eadem cognitio potest esse practica & speculatiua.

Vna potentia potest respicere plures rationes formales specificantes diuersas potẽtias.

tamen quod ipsi dicunt, quod illa tertia potentia esset aggregatum quid ex illis duabus potentiis, quarum obiecta percipere posset, tum quia esse posset vnica indiuisibilis, tum etiam quia haberet aliquam operationem, quam illæ duæ habere non possent, nimirum discernere inter illarum obiecta; tum denique quia actus eius circa quodlibet ex ipsis essent distinctæ rationis ab actibus aliarum istarum potentialium.

*Dices vltimò Scotum q. 4. prologi* probare Theologiam non esse practicam & speculatiuam, propter istam rationem de diuisione scientiæ vt sic, in practicam & speculatiuam; ergo contra Scotum est, eam reicere.

*Respondetur* ita quidem videri Scotistis multis, reuera tamen ita non esse; nam ista probatio posita q. 4. prologi, non est Scoti, sed additoris alicuius, cuius autoritas nõ tanti faciendæ est, quin negari possit etiam à Scotistis.

96. Pro complemento huius quæstionis, & vt respondere possit ad obiectiones, quæ contra hanc partem obici possent, aduerte non sufficere ad scientiam practicam quod procedat modo compositorio, hoc est quod consideret aliquid operabile, ostendendo quomodo debeat fieri, sed requiri vterius quod illud operabile, quod considerat, sit praxis, vt consideratur ab ipsis; nec etiam ad hoc sufficere quod habeat rationem artis, quia admitti possunt artes practicæ, & artes speculatiuæ. Si tamen aliquis velit intelligere per praxim aliquid operabile, siue illud sit actus alterius potentiæ ab intellectu, siue non sit; tum dicere posset Logicam esse practicam, vt Scotus ipse 6.

*Met. q. 1. aduertit* his verbis: *Ad primum argumentum, de Logica potest dici quod Logica sit practica, quia non est tantum propter scire proprium, sed propter scire directum in aliquo actu.* Vnde reuera quantum ad hoc quæstio est de nominibus, in qua tamen nos meliorem partem habemus, quia vtritur praxi in sensu antiquorum & Aristotelis, iuxta interpretationem vtriusque Doct. Angelici & Subtilis.

#### ADDITION.

**P**rima disputatione *Met. num. 72.* impugnatur Mastrius doctrinam à me propositam hac quæst. num. 91. & sequentibus, secundum quam responderi posset ad duo argumenta proposita num. 90. ad probandum quod vna scientia non posset esse speculatiua & practica; & imprimis ait, primam meam responsionem nihil valere, quia etiam scientia totalis dicitur vna ex vnitæte habitus alicuius quidditatis includentis, vel virtualiter, vel potentialiter omnes veritates demonstrabiles de eo, cuius est quidditas, & de inferioribus sub eo contentis, ita vt omnia considerata in scientia totali conueniant in ratione formali considerandi vel genericæ vel specificæ.

*Sed hac impugnatio* nullo modo sufficit ad eneruandam meam illam responsionem: nam vt omitam falsissimum esse quod omnia considerata in scientia totali debeant participare rationem obiecti generici totalis, aut obiecti specifici vllius contenti sub illo, in sensu proprio; neque enim materia prima, aut vacuum, aut locus, aut vbi, aut motus quæ considerantur in scientia totali Physicæ, participant rationem corporis naturalis aut mobilis quod est subiectum adæquatum ipsius, aut vllius speciei sub ipso contentæ in sensu vllio proprio, sed vt omitam inquam hoc, admittendo ita esse, quomodo quæso inde lequetur quod etiam si scientia diuidatur in speculatiuam & practicam; non possit cum hoc stare, quod aliqua pars scientiæ talis non possit esse speculatiua, & aliqua practica.

*Sed breuiter* in forma nego consequentiam huius impugnationis, & vt magis appareat quam bene; Supponamus aliquem velle tradere scientiam aliquam totalem de natura hominis & omnibus proprietatibus ac accidentibus eius, modisque, quibus suas perfectiones acquirere possit; certe hæc scientia quamuis haberet pro subiecto adæquato hominem, & nihil consideraret nisi quod participaret rationem hominis aliquo modo, hoc est quatenus spectaret ad hominem, adhuc tamen esset partim speculatiua & partim practica; nam esset speculatiua quatenus precise consideraret naturam ipsius hominis, quia vt sic non diceret praxim, & quatenus con-

sideraret finem hominis, id est, felicitatem eius, & opera virtutum, quibus posset assequi finem esset practica; ergo consequentia Mastrij nihil valet, valet autem optime mea replica, quantum ad impugnationem hæc ipsius.

*Impugnatur secundo* eandem replicam ibidem, quia diuisione scientiæ in qua fundatur argumentum & ratio prædicta Scoti, est diuisione scientiæ totalis & non partialis. *Ad nec hac* etiam impugnatio vrget, quia petit principium: ego enim dixeram posse illam diuisionem intelligi de scientia partiali, nõ totali: dicere autem contra hoc, quod non sit diuisione scientiæ partialis, sed totalis, sine vteriori probatione, est petere principium manifeste.

*Contra secundam meam replicam* opponit certum esse ex legibus bonæ diuisionis membra diuidentia habere aliquam oppositionem inter se, id est, inquit, ita distincta esse inter se re, vel ratione, vt nõ coincidant in eo sensu, in quo sunt membra diuidentia, nec vnum includatur in alio: ergo eo modo quo practicum & speculatiuum diuidunt scientiam in communi, nõ possunt coincidere, nec idem actus vel habitus potest esse simul practicus & speculatiuus.

*Respondet* cum dicit ex legibus bonæ Diuisionis esse quod membra diuidentia sint opposita, seu ita inter se distincta re vel ratione, vt non coincidant in eo sensu, quo sunt membra diuidentia, aut vnum non includatur in alio aut vult quod nõ coincidant sic, quin rationes formales eorum sint diuersæ rationis, & vna formaliter nõ includatur in alia, & quamuis hoc verum sit, nihil facit ad propositum, quia cū optime possent conuenire, coincidere & identificari realiter: vnde in hoc sensu concedendo antecedens, non valet cōsequentia vt manifestum est. Aut vult quod non coincidant realiter, nec vnum realiter includatur in alio, & hoc assumendo petit principium, & mea exempla manifeste probant oppositum. Nec refert quod ipse dubitare videatur, an diuisiones, quas ego in exemplum adduco, sint proprie generis in species: nam eadem ratione, qua hoc diceretur de ipsis, posset idem dici, nisi oppositum aliunde probetur, de diuisione scientiæ in speculatiuam & practicam. Ex quo à primo ad vltimum patet meam replicam solidam permanere ab hoc Mastrij primo ariete.

*Videamus secundum:* Diuisione, inquit, scientiæ per practicum & speculatiuum petit ex sua ratione fieri per membra realiter & non formaliter tantum distincta, quia scientia sumit esse practicum vel speculatiuum ex suo formali obiecto: at obiecta scientiarum realiter distinguuntur, ergo dum scientias specificant per practicum & speculatiuum, eas quoque realiter distinguunt per tales differentias & non formaliter.

*Respondet primo* distinguendo assumptum, seu primam propositionem, si vna simplex scientia habitualis (de qua loquimur hic per se) possit tendere in obiecta realiter distincta, vt putant Thomistæ, nego antecedens, & cōsequentia probationis; quæ non sequitur ex præmissis in vlllo modo aut figura, si vero vna simplex scientia non possit tendere in plura obiecta, transeat illa propositio; sed nihil inde habetur contra me, nā hinc quod vna scientia realis simplex nequeat esse speculatiua & practica nõ oritur ex eo quod scientia vt sic, diuidatur adæquate in practicam & speculatiuam; sed ex illo alio capite, nempe quod illa scientia, quæ versatur circa obiectum, quod est speculatiuum, à quo scientia habet esse tale, nõ possit versari circa obiectum practicum, à quo haberet esse practicum, quia vna & eadē simplex scientia nequit versari circa plura obiecta distincta realiter. Nec ego addoxi illā replicā tam contra Scotistas, quam contra Thomistas, qui putant scientiam totalem esse simplicem habitum.

*Respondet secundo* quidquid sit de prima propositione, negando minorem probationis, nempe quod obiecta scientiarum realiter distinguantur: nam euidentius est quod obiectum Metaphysicæ, nimirum ens, non distinguatur realiter ab obiecto Physicæ; & quod plures scientiæ realissimè distincte possint esse de homine secundum diuersas tamen rationes formales.

*Respondet tertio*, negando primam propositionem quidquid

An Logica sit practica vel speculatiua est quæstio de nominibus.

quidquid sit, an in se vera sit) & negando consequentiam probationis, quæ sane non video quomodo valeat: nam quamvis practicum & speculativum sumatur ab obiecto formali & obiecta scientiarum sint realiter distincta, quod paulo ante dixi esse falsum, inde non sequitur quin una scientia versata circa idem obiectum possit esse speculativa & practica, & hoc habere ex diversis formalitatibus eiusdem obiecti. Aliunde quidem id implicare posset; sed ex præmissis Mastrij non sequitur quod fieri non posset.

Nunc accedendum ad Auctoritatem Scoti, quam adducit pro se, dum q. 4. Prolog. lit. D. ait practicum & speculativum esse velut divisionem generis per proprias passiones specierum circumferentes nobis differentias essentielles, sicut si dividatur numerus per par & impar. & inferius ubi ex hoc cap. arguit contra Godfr. & D. Th. Theologiam non posse esse speculativam, & practicam, & adhuc inferius lit. V. ubi negat constanter habitum per se speculativum posse esse practicum, quod & inferius docet lit. Ee. §. Ad rationes pro opinione.

Respondet quantum ad primum locum ex littera D. Doctorem agere de scientia actuali simplici & docere quod illa dividatur per practicum & speculativum, tanquam per proprietates, & non tanquam per differentias essentielles. Sed hinc non habetur quod una scientia totalis complectens plures scientia realiter & specie distinctas, non possit esse partim practica & partim speculativa. Imo ex hoc præcise non habetur quin eadem scientia simplex possit esse realiter practica & speculativa, sicut eadem realiter potentia rationalis potest esse libera & naturalis, licet potentia ut sic dividatur in potentiam liberam & naturalem per differentias oppositas. Et licet Doctor dicat ibi, quod divisio illa sit quasi divisio generis per proprias passiones specierum, sicut si dividatur numerus per par & impar, aut linea per rectum & curvum; tamen non inde sequitur quod secundum ipsum eadem scientia, etiam simplex, non possit esse practica & speculativa, sicut idem numerus nequit esse par aut impar: nam illud *ly sicut* non debet apud Autores currere quatuor, ut aiunt, pedibus; nec eo usus est Scotus ad significandam aliam paritatem illarum divisionum, quam quod quemadmodum una erat per proprias passiones specierum, ita & altera, ut manifestum est ex intento & discursu Doctoris eo loco.

Ad secundum locum, in quo dicit Doctorem uti ea ratione contra Godfredum & D. Thomam tenentes quod Theologia sit practica & speculativa. Respondet id omnino falsum esse, neque enim Doctor, sed Additor aliquis eam adhibet, ut ante adverti. Imo Doctor contra Godfredum lit. N. videtur admittere tanquam probabile quod Theologia, ut traditur in scriptura, sit partim practica partim speculativa: ergo non potuit uti ista ratione contra ipsum, quæ si vera esset, illud non posset esse probabile.

Ad tertium locum, ex eadem quest. 4. Prologi lit. V. ubi dicit habitum per se speculativum non posse esse per se practicum, Respondet primo hoc ipsum non dicere ex eo quod scientia ut sic, dividatur adæquate in practica & speculativam; sed ex aliis principiis; quia ex dictis patet illam rationem per se non sufficere. Respondet secundo eum loqui de eadem scientia simplici; aut si loquatur de totali, id intelligendum de totali constante ex partibus, quæ omnes æque debent esse speculativæ, aut æque practicæ; non vero de alia totali, quæ haberet partes diversas, de quibus non esset eadem ratio, cur omnes essent speculativæ aut omnes practicæ.

Ad quartum locum, ex lit. Ee. Respondet eum nihil habere ibi ad propositum, nisi quod habitus speculativus & practicus non possint esse circa idem obiectum. Sed hoc facile intelligi potest de eodem habitu simplici respiciente unum tantum actum, non de habitu aggregato ex pluribus habitibus respicientibus plures actus. Deinde quamvis non possit esse circa idem obiectum habitus practicus & speculativus, non inde sequitur quod habitus totalis partim speculativus & partim

practicus nequeat esse circa plura obiecta, sic ut quatenus speculativus possit versari circa aliqua, & quatenus practicus circa alia.

In eadem disputatione num. 74. ex duabus rationibus, quibus in hac questione num. 80. impugnavi responsionem ipsius ad locum Scoti q. 4. Prologi, in quo videtur asserere, quod intellectio imparata nequeat esse praxis unam adducit & impugnat, alteram vero retinet, quia ut verisimiliter conici potest, non potuit illam solvere, si enim posset, cur non faceret: sed præstaret ut nec alteram adduceret, sed potius meam amplecteretur responsionem, aut aliam meliorem adferret, neque enim suam propriam sufficienter confirmat, aut infirmat, meam. Quod iam ostendo. Ille respondebat Scotum loqui non de quocunque actu imperato intellectus, sed de actu directivo praxis. Contra hoc opposui quod illa cognitio imperata, quæ esset directiva praxis, esset etiam praxis non minus quam cognitio imperata, non directiva: ergo Scotus male id negat.

Ad hanc impugnationem respondet Mastrij, quod licet possit illa cognitio imperata directiva esse praxis, non tamen esset talis, ut directiva. At nunquid hoc est nugari? quamvis enim sub illa ratione non esset praxis, tamen simpliciter esset praxis, non minus quam quæcunque alia cognitio imperata. Scotus autem negat eam esse praxin simpliciter & absolute, & non tantum secundum hanc vel illam rationem.

Deinde si Scotus loqueretur de cognitione imperata non simpliciter, sed secundum aliquam rationem, non esset opus recurrere ad cognitionem directivam; quia posset dici de quacunque cognitione imperata, quod non esset praxis, secundum aliquam rationem particularem, nimirum quatenus cognitio, aut operatio, aut qualitas. Ex quo patet meam rationem infirmasse responsionem Mastrij.

Videamus nunc, an ipse æque bene infirmet meam responsionem ad locum Scoti. Dixi Scotum locutum de praxi in magis rigorosa acceptione, quam communiter accipitur, prout scilicet significat actum, qui & secundum se sit alterius potentia ab intellectu, & præterea sit actus elicited, vel imperatus à voluntate. Hanc asserit Mastrij alienam ab intentione Doctoris, quia Doctor facit objectionem illam de cognitione imperata, ut declarat definitionem praxis à se supra adductam, nimirum quod est actus alterius potentia ab intellectu: ergo in solutione objectionis vitur in eodem rigore & sensu praxi; nam si in alio sensu eo vteretur in objectione illa de cognitione imperata, difficultas non faceret contra definitionem. Quid plura? inquit Mastrij, Doctor ipse ibidem, in ipsa illius difficultatis solutione, declarat quo sensu praxin ibi accipiat asserens: *tamen ut praxis dicitur sola operatio, ad quam intellectus potest extendi: nulla intellectio est praxis.* Non ergo aliam acceptionem largioris praxis hic cogitabat Doctor, sed semper in toto illo articulo loquitur in eodem sensu & rigore de praxi.

Sed imprimis ego nusquam dixi Scotum alia & alia acceptione laxiori & minus larga usum in illo articulo; nec semel de hoc somnavi, sed docui Scotum in toto articulo illo egisse de praxi in magis rigorosa acceptione, illa scilicet à me expressa, in qua communiter iam accipitur. Contra hoc autem nihil facit discursus Mastrij, qui male meam mentem intellexit. Ad quod addo ex ultimis verbis Scoti à ipso citatis colligi sufficienter explicationem ipsius non valere: expresse enim Doctor ait quod in sensu, in quo ipsemet accipit praxin, nulla intellectio sit praxis, quæ est contradictoria propositio illi, quam in sua responsione admittit Mastrij: nempe quod aliqua operatio intellectus sit praxis; nimirum illa quæ est imperata, & non directiva.

#### QVÆSTIO IX.

Vtrum Logica sit una simplex qualitas.

9. Quid resolvemus hic de Logica, proportionem servata de qualibet alia scientia totali includente partes plures, & plura obiecta considerante per varios actus, tenendum est. Non procedit autem questio de Logica

Explicatur  
Scotus.

Logica actuali, nec de habituali ex suppositione, quod habitus scientifici non distingueretur a speciebus intelligibilibus speciali aliquo modo inter se coordinatis, quia absque cōtrouersia est, quod tā actus logici, hoc est scientiæ partiales Logicæ, quā species intelligibiles concurrentes ad illos actus realissime inter se distinguantur: sed quæritur de Logica habituali ex suppositione quod Logica habitualis esset habitus quidā distinctus realiter ab actibus & a speciebus quibuscūque, quomodocūque ordinatis, prout communiter dicitur esse, & sensus quæstionis est, utrū habitus Logicus, quo quis inclinatur & determinatur ad facile demonstrandas omnes conclusiones Logicæ, sit ita simplex & indiuisibilis, ut qui habet habitum inclinante ad vnam conclusionem, habeat eo ipso totum habitum Logicæ taliter, ut non acquirat alium habitum nouum, nec partem aliquam noui habitus, quando cognoscit alterum obiectum. Præter quā difficultatem solet alia difficultas hic examinari, an scilicet ex suppositione quod habitus Logicus totalis cōstet pluribus habitibus partialibus, isti habitus partiales continerentur, vel vniantur inter se aliqua reali vnione.

*Prima sententia, est D. Thoma 1.2. q. 54. & Caiet. ibidem, Soti q. 3. proæm. in Log. Vaf. q. 1. p. disp. 9. & 1.2. disp. 80. c. 5. Complutensium disp. 19. Log. q. 4. & aliorum plurimorum, qui omnes asserunt Logicam totalem esse vnicam simplicissimam & indiuisibilem qualitatem nullas includentem partes realiter distinctas, siue homogeneas siue heterogeneas.*

*Secunda sententia docet Logicam esse vnam per se qualitatem, compositam tamen ex pluribus partibus homogeneis inter se continuatis eo modo, quo se habet calor intensus & extensus in sententia eorum qui intentionem fieri dicunt per additionem noui gradus. Ita Lorca 1. 2. disput. 10. Ruinus q. 4. proæm. in Log.*

*Tertia sententia est, quod Logica totalis & quælibet alia totalis scientia respiciens multas conclusiones diuersæ rationis, includat plures partes diuersæ rationis & distinctas realiter.*

Hanc amplectitur Doctor variis locis; & speciatim q. 3. prologi n. 5. in 3. d. 25. q. 2. n. 3. & 6. Met. q. 1. quem præter suos omnes sequuntur Nominales cum Suario disp. 44. Met. scilicet 11. Molina 1. par. quæst. 1. Egid. de Present. lib. 11. de beatitud. q. 8. n. 27. Fonseca. Tolet. Oña. & Hurtadus etiam, quia quamuis existimet habitus scientificos non esse quid distinctum a speciebus intelligibilibus inter se coordinatis, & propterea non veniat per se in hanc cōtrouersiam, tamen asserit, ex suppositione, quod daretur habitus aliquis ab his distinctus, illum non debere esse simplicem, sed compositum, seu integrum ex partibus distinctæ rationis specificæ.

## CONCLUSIO. I.

98. Logica, & idem est de ceteris scientiis totalibus, ut de Physica, Metaphysica, &c. non est vna & indiuisibilis qualitas. Hæc est Doctorum secundæ & tertiæ sententiæ.

*Probatur primo*, quia alias qui sciret vnam conclusionem solam Logicam, tam habitualiter sciret totam Logicam, quam qui sciret omnes, sed hoc videtur absurdum, & contra experientiam omnem, ergo. Probatur maior, quia ex hypothesi haberet totum habitum Logicæ, Probatur minor, quia sentiret multo maiorem difficultatē circa reliquas conclusiones, quam qui ipsas cognosceret; ergo non sciret tam habitualiter totam Logicam, quam qui haberet cognitionem actualem omnium conclusionum. Probatur hæc consequentia, quia per habitum tollitur difficultas, & ponitur facilitas in potentia, ergo qui habet minorem facilitatem, & maiorem difficultatem, non habet totum habitum, quem habet, qui minorem habet difficultatem & maiorem facilitatem.

*Confirmatur hoc ex D. lib. 6. Met. quæst. 1. n. 4* quia videtur irrationabile dicere, quod aliquis habeat habitum respectu alicuius conclusionis, respectu cuius non sentiret vllam facilitatē magis, quam si non haberet habitum: sed id sequeretur ex opposita sententia, ut patet: ergo

*Confirmatur secundo ex eodem ibidem, vnde eam desumpsit Hurtadus, quia alias sequeretur, quod aliquis*

haberet summam scientiam habitualement & summum errorem habitualement de eodem omnino obiecto naturaliter, quod est absurdum. Probatur sequela, quia posset quis cognoscere habitualiter vnam conclusionem Logicam, & habere errorem habitualement circa alteram: sed in tali casu haberet in sententia aduersariorum summam scientiam habitualement de illa conclusione, quia tantam, quantam posset haberet, & præterea haberet summum errorem de eadem.

99. *Probatur secundo*, quia habitus, quo inclinor ad hanc conclusionem percipiendam: definitio est oratio explicans naturam rei, non potest me inclinare ad assentiendum huic conclusioni: syllogismus debet constare tribus propositionibus: ergo habitus, quo inclinor ad vnum, est diuersus ab habitu, quo inclinor ad alterum: sed uterque habitus est Logicus: ergo habitus Logicus non est simplex, & indiuisibilis entitas. Antecedens experientia videtur certissimum; quia quando aliquis cognoscit optime, quod definitio sit oratio explicans naturam rei non maiorem sentit facilitatem ad cognoscendum, quid sit syllogismus, quam si non cognouisset quid esset omnino definitio.

*Probatur tertio*: etiam si habeat quis habitum, quo inclinatur ad cognoscendum quid sit genus, quando postea sæpius cognoscit quid sit syllogismus, & quomodo debet confici, sentit maiorem facilitatem, quam antea sensit; sed ista maior facilitas non provenit ab habitu, quo inclinabatur ad cognoscendum naturam generis, ergo ab aliquo alio habitu distincto. Maior & consequentia sunt certa: probatur minor, quia illum habitum, quo inclinabatur ad cognoscendum naturam generis, habuit ante, cum non sentiret illam facilitatem cognoscendi naturam syllogismi: sed non est maior ratio, cur per illum habitum postea facilitaretur quam antea, ergo per illum nullo modo facilitatur.

*Dices* illum habitum, quo inclinabatur ad cognoscendum naturam generis, quando habet actus plures cognoscendi naturam syllogismi, extendi ad facilitandum potentiam in ordine etiam ad syllogismum cognoscendum.

*Contra*, quia est intelligibile, quomodo fiat ista noua extensio sine acquisitione alicuius nouæ entitatis, ut postea magis clarum erit, cum tractauerimus de extensione qualitatis & intensione eius.

## CONCLUSIO II.

100. Logica totalis includit plures habitus distinctos specie. Hæc est authorum tertiæ sententiæ contra primam & secundam sententiam.

*Probatur primo*, quia actus Logicæ sunt distincti specie, y. g. actus, quo cognosco, quæ sit natura syllogismi, & quæ sit natura generis, ergo & habitus logici, qui inclinant ad istos actus, sunt diuersæ speciei.

*Confirmatur*, quia quotiescūque actus sunt distinctæ speciei, & quando quis non facilitatur ad vnum per hoc, quod facilitatur ad alterum, tunc habitus, quo inclinatur ad vnum, est distinctæ speciei ab habitu, quo inclinatur ad alterum: sed actus prædicti Logicæ sunt distinctæ speciei, & per hoc quod quis facilitatur ad primum, non facilitatur ad secundum, nec e contra; ergo plures habitus distinctæ speciei dandi sunt, qui in ordine ad eos faciliunt potentiam.

*Probatur secundo*, quia quando est diuersa specie ratio assentiendi conclusionibus, est diuersa specie ratio difficultatis: sed ratio assentiendi, quæ sit natura syllogismi sit illa: ratio assentiendi quod definitio debeat constare genere & differētiæ: ergo etiam sunt diuersæ specie difficultates assentiendi istis duabus conclusionibus. Sed vbi cūque occurrunt diuersæ speciei difficultates, ibi sunt ponendi diuersi specie habitus superantes istas difficultates: ergo cum in actibus logicis sint diuersæ specie difficultates, debet dici quod Logica habitualis includat plures habitus specie distinctos.

*Confirmatur*, quia propterea habitus temperantiæ dicitur distinctus specie ab habitu liberalitatis, quia

G

actus

Sensus  
quæstio-  
nis.Logica  
totalis  
non est  
vna indi-  
uisibilis  
qualitas.Logica  
totalis  
includit  
plures  
partes  
distinctas  
speciei.vbi sunt  
diuersæ  
specie  
difficul-  
tates de-  
bent po-  
ni diuersi  
specie  
habitus.

actus liberalitatis & temperantiæ sunt distinctæ speciei, & quia habent diuersas difficultates, ita vt non facili-  
tetur potentia ad vnum ex eo, quod faciliatur ad alter-  
rum: ergo quotiescumque similis ratio reperitur, multi-  
plicandi sunt habitus speciei.

101. Respondent ad hæc aduersarij, actus Logicæ, sicut  
& obiecta eorum, esse quidem distinctæ rationis in esse  
rei, non tamen in esse scibilis, & propterea quia secun-  
dum quod scibiles sunt, relinquunt post se habitū, nō  
possunt relinquere post se habitus distinctæ speciei.

Et si quaratur vnde colligunt quod actus omnes sci-  
entiæ cuiusvis totalis sint eiusdem rationis in esse scibilis, si  
sint diuersæ rationis in esse rei. Respondent, quia omnes  
isti actus habent eandem rationem *sub qua* versantur cir-  
ca suum obiectum, *verbi gratia*, omnes actus Metaphy-  
sici versantur circa sua obiecta, secundū quod abstrahūt  
ab omni materia; & omnes actus Physici versantur circa  
sua obiecta, secundū quod abstrahunt à materia singu-  
lari, non verò à materia sensibili, & omnes actus Ma-  
thematicæ versantur circa sua obiecta, prout abstrahūt  
à materia singulari, & sensibili, non tamen intelligibili.

Non po-  
test assi-  
gnari  
vna ratio  
sub qua  
in omni-  
bus ob-  
iectis  
Logicæ.

Sed contra hanc doctrinā, primò: quia difficulter pos-  
sunt assignare in Logica eandem rationē *sub qua* versa-  
tur circa omnia sua obiecta partialia: nam si dicat quod  
illa ratio sit secunda intentio, non possunt negare quin  
sint multæ secundæ intentiones diuersæ speciei de quib-  
us agit in Logica. Si dicant quod sit dirigibilitas,  
aut directiuitas operationū intellectus, non possunt ne-  
gare quin alia sit dirigibilitas, & directiuitas syllogismi,  
vt sic, à dirigibilitate, & directiuitate demonstrationis.

Quāuis,  
assigna-  
retur, nō  
colleret  
diuersi-  
tatem  
specificā  
partium  
Logicæ.

102. Secundò: quia si actus Logicæ sunt diuersæ spe-  
ciei, & habent diuersas difficultates in productione sui,  
quantumuis conuenirent in esse scibilis, quare non assi-  
gnarentur plures habitus distinctæ speciei, qui inclina-  
rent ad eos, saltem in esse rei?

Confirmatur hoc, quia si potentia seipsa sufficienter in-  
clinaretur & faciliteretur ad omnes actus metaphysi-  
cos, v. g. siue isti actus conuenirent, siue non conuenirent  
in eadem abstractione à materia, non poneretur vllus  
habitus, qui inclinat ad ipsos: ergo siue conueniant  
in eadem abstractione à materia, siue non, modo sint di-  
uersæ difficultates, debent poni diuersi habitus. Proba-  
tur consequentia, quia habitus non ponitur propter ab-  
stractionem à materia, sed propter difficultatem: ergo  
ubi sunt diuersæ difficultates, ponendi sunt diuersi ha-  
bitus, non obstante quacumque conuenientia vel dis-  
conuenientia in abstractione à materia.

103. Tertiò: si conuenientia in eadē abstractione à ma-  
teria sufficeret ad inferendam identitatem specificam  
habituū, quamuis actus in genere entis sint diuersæ  
speciei, & habeant diuersas difficultates, & etiā quāuis  
potentia ob diuersam rationē formalem assentiatur, &  
eliciat illos; potuisset quis dicere quod omnes omnino  
scientiæ, præsertim speculatiuæ, essent eiusdem speciei,  
propterea quod obiecta earum omnium conueniant in  
ratione vniuersalis, & quod actus omnes istarum scienti-  
arum versantur circa obiecta ista sub ratione vniuersa-  
lis, tanquam sub eadem ratione *sub qua*: sed conse-  
quens est absurdum, ergo & antecedens.

Quartò, sub eadem abstractione à materia conueniunt  
plures scientiæ, quæ distinguuntur specie in esse etiam  
scibilis, secundum aduersarios; ergo conuenientia in ea-  
dem abstractione à materia non arguit identitatē spe-  
cificam habituū. Probatur antecedens, quia Philoso-  
phia habitualis, moralis & naturalis conueniunt in ea-  
dem abstractione à materia, scilicet singulari, & nō sen-  
sibili, & tamen secundum omnes distinguuntur specie.  
Præterea, ipsa Logica abstrahit ab omni materia sicut  
Metaphysica, & tamen distinguitur specie ab illa.

Quintò, quia in Metaphysica plura cōsiderantur, quo-  
rum aliqua videntur magis abstracta à materia, quam  
alia, Deus enim & Angeli, quibus repugnat cōiungi cum  
materia, sunt magis abstracti à materia, quam ratio entis  
aut substantiæ vt sic, quibus id non repugnat: ergo  
diuersa est scientia habitualis, quæ versatur circa ipsa.

Sextò, multo potiori iure deberet actus & habitus sci-  
entiæ desumere suam specificationem à rationibus for-  
malibus mouentibus intellectum ad scientiam, hoc est  
ab obiectis formalibus quibus assentitur conclusio, ni-  
quam à ratione formali sub qua; ergo quandoquidē sint  
diuersæ rationes formales, quæ mouerent, quamuis ea-  
dem esset ratio formalis *sub qua*, id est, eadem abstra-  
ctio à materia, tamē scientiæ deberent distinguī speciei.

Denique, quid facit aut inuaret conuenientia aliquarū  
conclusionum in eadem abstractione, ad non multipli-  
cationem habituū, si non efficiat vt habeant similem  
difficultatem: si enim hoc faceret, satis probabile vide-  
retur, quod idem saltem specie habitus respiceret om-  
nes illas conclusiones, sicut idem specie habitus tempe-  
rantia respicit quoscumque actus temperantiæ: at cum  
id non faciat, vt manifestum est, certe gratissime dicitur  
quod propter eam habitus vnus specie tendat in om-  
nes illas conclusiones.

104. Respondet Ruvius aliter ad probationes conclusio-  
nis, propterea esse eundem habitū cuiuscumque scientiæ  
totalis, quia licet conclusiones sint diuersæ speciei, &  
etiam media, quibus intellectus assentitur illis, tamē illa  
principia & media habēt naturalem connexionē & or-  
dinem inter se inuicem, & propter hoc sufficienter ha-  
bitus, qui versatur circa ipsa, potest esse eiusdem speciei.

Sed hæc responsio nullo modo satisfacit, primò, quia in  
scientiis totalibus licet aliqua sint: quæ habent huius-  
modi ordinem naturalem inter se inuicem, vt prius de-  
beat haberi cognitio vnus quam alterius, quia, v. g. in  
Logica prius haberi debet cognitio propositionis quā  
syllogismi, & in Physica prius debet cognosci corpus  
naturale vt sic, quam aliqua species ipsius, tamen sunt  
multa alia, quæ non habent talem connexionem natu-  
ralem, quin possint ante se inuicem cognosci promi-  
scuè, & sic videmus non eundem ordinem seruari ab  
omnibus in tradendis scientiis, sed aliquos prius doce-  
re quod ab aliis posterius docetur: ergo saltem respectu  
illorum multiplicandi essent habitus speciei.

Secundò quod habeant talem ordinem inter se, non  
impedit quominus sint diuersæ rationis, & diuersam  
habeant difficultatem; sicut ordo, quem dicit ossa, ner-  
ui, caro inter se ad constituendum totum, non impedit  
diuersitatem specificam eorum in meliori sententia: er-  
go non impedit quo minus diuersus specie habitus po-  
natur ad tollendam illam difficultatem.

Confirmatur, quia sicut ipsæmet conclusiones scitæ  
sunt diuersæ speciei, & cognitiones actuales, quæ habet-  
ur de ipsis, non obstante illa connexionē; non potest  
assignari ratio, cur etiam ipsi habitus diuersi, qui ten-  
dent in illas, non esset diuersæ speciei, quamuis habe-  
rent inter se istam connexionem.

105. Quod insuper dicit Ruvius ad confirmationem  
sue sententiæ visionem scilicet albedinis & nigredinis  
non esse diuersæ speciei, eo quod licet albedo & nigre-  
do disconueniant in esse rei, conueniunt tamen in esse  
visibilis, improbable propterea videtur: nam visio albi est  
similitudo formalis albi, non tantum sub ratione talis  
coloris vt sic, sed sub ratione talis coloris, & similiter  
dicendum de visione nigredinis: ergo omnino distin-  
guuntur specie, sicut albedo & nigredo.

Præterea, vnde colligere potest intellectus quod di-  
stinguatur albedo & nigredo specie, nisi quia videt  
quod diuerso modo immutant potentiam, albedo scilicet  
disgregando, & congregando nigredo; ergo licet  
conueniant in modo generico immutandi visum, sicut  
conueniunt in ratione coloris vt sic, tamen disconue-  
niunt in modo specifico immutandi taliter visum.

Confirmatur quia si visio albi est eiusdem rationis  
cum visione nigri, potuisset etiam representare ni-  
grum, quod est absurdissimum.

Vasques 1.2. disp. 80. c. 5. tenet scientiam nouam par-  
tialē non acquiri, quando cognoscitur noua conclusio  
sed tantū nouum aliquem modū scientiæ præexistētis,

Sed contra, quia nō est maior ratio, cur illud, quod incli-  
nabat me ad primam conclusionem, vocaretur habitus  
partialis

Specifi-  
cari po-  
tius de-  
berent  
scientiæ  
ab obie-  
cto for-  
mali  
quo, quā  
à ratione  
formali  
sub qua.

Multæ  
cogni-  
tiones.  
Scientia-  
rum to-  
talium  
subordi-  
natur si-  
bi inuicē  
& multæ  
non.

Subordi-  
natio nō  
impedit  
distin-  
ctionem  
specificā

Visio al-  
bedinis  
distingui-  
tur specie à  
visione  
nigredini-  
s.

Non suf-  
ficit no-  
uus mo-  
dus ad  
superan-  
dam dif-  
ficultatē  
nouæ  
conclu-  
sionis.

partialis, quam illud, mediante quo inclinaret ad secundam conclusionem. *Præterea*, modus rei non potest acquiri sine re, cuius est modus, nec sine illa conservari; sed illud, quod faciliat ad secundam conclusionem, potest acquiri & conservari sine illo quod faciliat ad primam; ergo non potest esse modus eius.

*Obiicies primo*: vna potentia specie potest habere actum circa obiecta specie distincta, etiam ob diversas rationes formales, & non obstantibus diversis difficultatibus; ergo similiter dicendum est de habitu.

106. *Respondeo primo* argumentum nimis probare: si enim valeret, probaret, quod vnus habitus specie esset respectu omnium scientiarum, sicut vna specie potentia v.g. intellectus est circa ipsas.

*Respondeo secundo* negando consequentiam, quia potentia est ex se indeterminata ad omnia obiecta contenta sub suo obiecto primo, determinatur autem per habitum ad vnum præ aliis, & consequenter habitus ipse debet esse sic determinatus; alias quomodo determinaret potentiam? Si autem sit determinatus ad vnum obiectum, manifeste sequitur, quod non possit versari circa alterum. *Præterea*, habitus causatur ab actibus, & consequenter quando actus sunt diversæ rationis habentes diversas difficultates, vnus non producit habitum, qui inclinaret ad alterum, neque enim illud continet virtualiter aut formaliter.

*Obiicies secundo*: Habitum infusus fidei est vna simplex qualitas, & idem est de habitu infuso spei & charitatis, & mediante illo producimus actus diversos: ergo mediantibus habitibus acquisitis etiam, quamvis essent vna simplex qualitas, posset quis producere actus diversos.

*Respondeo* habitum fidei esse vnam simplicem qualitatem, id est non compositam ex pluribus qualitatibus distinctæ speciei, quamvis sit compositus ex pluribus partibus eiusdem rationis, nego tamen propterea sequi, quod habitus acquisitus Logicæ, aut vilius scientiæ totalis sit simplex, id est non compositus ex pluribus habitibus distinctæ speciei: & ratio disparitatis est quod omnes actus fidei sint eiusdem speciei quantum est ex parte obiecti motui, quia est eadem ratio formalis, quæ mouet intellectum ad ipsos producendos, nimirum veritas diuina reuelata, neque propterea est difficultas maior in credendo vni articulo fidei, quam alteri, si æqualiter proponantur, unde non est necesse, vt multiplicetur specie habitus circa articulos fidei quoscunque credendos; & quod dico de fide, non proportionem dicendum est de spe & charitate: sed non est eadem ratio formalis assentiendi omnibus conclusionibus scientiæ totalis, neque est eadem difficultas in ipsis, & consequenter debet multiplicari specie habitus inclinans ad ipsos, CONCLUSIO III.

107. *Logica totalis non habet aliam unitatem quam aggregationis & ordinis, talem scilicet qualem habet exterioris.* Hæc est etiam communis eorum qui tenent præcedentes conclusiones.

*Probat*, quia illi plures habitus distinctæ speciei non continuantur inter se per aliquam vnionem physicam: ergo non possunt habere aliam vnionem quam ordinis & aggregationis. Consequentia est certa, probatur antecedens quia habitus, quo inclinor ad cognoscendam naturam generis, est completa species qualitatatis, & ponitur directe in illo prædicamento: ergo non potest facere compositionem per se cum illo habitu, quo inclinor ad cognoscendam naturam syllogismi, qui etiam est completa species qualitatatis. Probat consequentia, quia vna species completa non ordinatur ad faciendam compositionem per se cum alia specie distinctæ rationis: alias enim esset cōpleta, & non esset cōpleta.

*Confirmatur*, quia inde colligitur, quod substantia carnis non sit species completa substantiæ, quia facit compositionem per se integram cum substantia ossis & nervorum; cum tamen non sit eiusdem rationis cum substantia totali, quæ oritur ex illis omnibus: ergo si habitus, quo inclinor ad cognoscendam naturam generis, sit diversæ rationis ab habitu, quo inclinor ad cognoscendam syllogismum, & non obstante hoc facit vnum

per se compositum cum illo, non erit habitus completus.

108. *Dices*, in hac ratione duo supponi, quæ non sunt valde certa, primo quod habitus quicumque partialis Logicæ & cuiusvis scientiæ totalis sit in se completus; quod tamen posset omnino negari satis commode, quia cum ille habitus ex natura sua ordinetur ad cognitionem alicuius obiecti attributi essentialiter ad aliud obiectum; quare non posset dici habitus essentia aliter incōpletus? Secundo quod habitus completus non posset facere cum alio habiti cōpleto vnum integrale compositum heterogeneum sicut enim duæ aquæ essentialiter cōpletæ & directe collocatæ in prædicamento substantiæ possunt facere vnum integrale cōpositum homogeneum, quare non possent similiter duæ qualitates cōpletæ distinctæ speciei facere vnum integrale compositum heterogeneum.

*His tamen non obstantibus* prædicta ratio videtur bona, quia cum habitus illi distincti ordinentur ad actus, & actus sint completa entia, nec vnus compleatur siue essentialiter, siue integraliter per alterum, videtur etiam multo probabilius, quod ipsi habitus compleantur per se inuicem, mediante aliqua physica vnione siue essentiali, siue integrali, & consequenter, quod vnusquisque ex illis sit secundum se completus: & per hoc tollitur prima ratio in oppositum.

*Ad secundam etiam rationem Respondeo*, disparere esse rationem de toto homogeneo, & heterogeneo, quia cum totum homogeneum sit eiusdem rationis cum suis partibus, si ipsum sit completum ens, etiam partes debeant esse completæ: sed totum heterogeneum, cum sit diversæ rationis à suis partibus, non est necesse, vt si ipsum sit completum, partes eius sint cōpletæ, & propterea potius debet dici quod non sint completæ, nisi ex alio capite ostendi possit, quod sint completæ: quare cum ex nullo capite ostendi possit, quod scientiæ particulares essent completæ, si constituerent aliquam scientiam integralem heterogeneam, dicendum potius esset in tali casu, quod non essent completæ, & hoc maxime confirmatur per confirmationem supradictæ rationis.

109. *Probat*ur secundo conclusio: non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed multiplicarentur, si scientiæ partiales vnirentur physice inter se, ergo. Probat minor, quia si vnirentur, deberet produci vnio realis earum, quæ non esset producenda si non vnirentur, sed non est necessitas illa producendi, ergo si vnirentur scientiæ, multiplicarentur entia sine necessitate. Probat hanc minor, quia tam perfecte posset quis scire omnes conclusiones logicas, si haberet habitus partiales sine vnione, quam si haberet illas unitas; ergo non esset necessitas vnendi illas.

*Confirmatur*, quia nullum est indicium vnionis ipsorum, nec à priori, nec à posteriori.

*Dices*, perfectior unitas debet attribui scientiæ, quæ potest ipsi attribui sine inconuenienti: sed vnio illa integralis est perfectior, quam vnio ordinis, & non est inconueniens, quod eam haberet scientia totalis, ergo debet sic dici.

*Respondeo primo* negando minorem pro secunda parte, quia multiplicarentur entia sine necessitate.

*Respondeo secundo*, non debere nos attribuire vllam perfectionem maiorem scientiæ; quam possumus per rationem colligere ipsi conuenire, quantumvis non possemus ostendere inconueniens aliquod ex eo, quod conueniret ipsi.

*Respondeo tertio*, non esse perfectionis in scientia totali, quod habeat vnionem integram potius quam ordinis, quando mediante vnione ordinis potest totum id præstare, & tam perfecte, quod posset mediante vnione integrali.

110. *Suares disp. 44. Met. sec. 11.* probat nostram conclusionem, quia si illi plures habitus vnirentur physice, deberet vniri per modum actus per se, & potest per se, sicut vnitur materia prima formæ substantiali, vel mediante termino aliquo indiuisibili, sicut duæ partes albedinis, aut quæritatis, sed neutro modo possunt vniri isti habitus, ergo.

Cur vna potentia sufficiat ad plures conclusiones non verò vnus habitus.

Cur habitus infusi sunt simplices, non verò acquisiti.

Logica totalis non habet aliam vnionem quam aggregationis.

Habitus quicumque partialis Logicæ est quid completum.

Confirmatio.

Probat minorem, quoad primam partem quia sic vnus habitus deberet recipi in altero habitu tãquam in subiecto, & deberet ipsum actuare: sed hoc non fit, quia vterque habitus æque immediate respicit intellectum tanquam subiectum. *Verum probatio hac minoris non subsistit*, quia tam facile negaretur minor ipsius, quam minor probanda. *Itaque probatur aliter illa minor*, quia actus per se præsupponit semper potentiam, & naturaliter non potest produci, nec etiam conservari sine ipsa: sed aliquæ partes Logicæ possunt indifferenter ante se inuicem comparari, ergo non habent se per modum actus & potentie. *Deinde*, quoties aliqua coniunguntur per modum actus per se & potentie, totum compositum ex ipsis habet aliquem effectum, quem vtrique pars secundum se, si poneretur simul absque vnione, non haberet; sed habitus totalis Logicæ non habet aliquem effectum, quem omnes partes eius non possent habere, etiam si ponerentur absque vnione illa per se, ergo &c.

*Probat Suarez secundam partem minoris*, quia quilibet pars extensiva scientiæ totalis, v.g. illa pars, quæ respicit hanc conclusionem, quod definitio debeat constare genere & differentia, & illa pars quæ respicit hanc aliam conclusionem, quod membra diuidentia debeant esse adæquata diuiso, est indiuisibilis extensivæ, ergo non possunt vniri aliquo termino indiuisibili continuatiuo. *Probatur cõsequentiā primo*, quia, inquit, indiuisibilia non continuantur per alia indiuisibilia: secundum, quia illud indiuisibile continuatiuum deberet esse proportionatum partibus continuatis, & consequenter sicut partes continuatæ habitus inclinant ad aliquem actum, ita etiam illud indiuisibile deberet similiter inclinare ad aliquem actum.

*Sed vtrique hac probatio consequentiā non placet*; non prima, quia valde incertum est vtrum sola diuisibilia continuari possint per indiuisibilia: multo minus placet secunda, quia indiuisibile continuatiuum non debet esse proportionatum in actiuitate partibus copulatis, sed sic tantum, vt possit eas continuare, vt patet discurrendo per puncta indiuisibilia aliarum rerum: ergo illud indiuisibile, quod copularet partes habitus totalis Logicæ, non deberet inclinare ad aliquem actum, sed deberet tantum continuare illos habitus partiales, qui ad partiales actus inclinant.

*Deinde posset negari maior principalis*, quia possent illæ partes habitus respicientes diuersas conclusiones vniri per respectum extrinsecus aduenientem, qui respectus non esset aliquid absolutum, sicut sunt indiuisibilia illa copulatiua albedinis, & quantitatis: sed de hoc alias.

111. *Obiicies contra conclusionem*: Logica totalis pertinet ad prædicamentum aliquod directe, sed si esset vna per aggregationem & per ordinem eo modo, quo est exercitus, non pertineret ad vllum prædicamentum, quod enim est sic vnum, nõ est vnum per se, sed per accidens.

*Respondeo* distinguendo maiorem: secundum quod est vna per aggregationem, nego maiorem: secundum quod quilibet eius pars est vna per se scientiā, concedo maiorem; pertinet enim vt sic, ad prædicamentum qualitatis. Itaque quemadmodum vnum aggregatum ex pluribus hominibus ponitur in prædicamento substantiæ, quatenus quilibet homo secundum se ponitur in illo prædicamento, non verò quatenus est vnum aggregatum ex illis omnibus, ita etiam scientia totalis pertinet ad prædicamentum qualitatis, quatenus quilibet eius pars ad illud prædicamentum spectat, non verò quatenus est totum constatum ex illis partibus: quod si quatenus esset vnum aggregatum ex multis inter se inuicem ordinatis, spectaret ad aliquod prædicamentum, deberet spectare ad prædicamentum, aliquod relationis, quia vt sic formaliter dicit relationem ordinis, quemadmodum est discurrendum de exercitu.

Cæteræ rationes, quæ contra nostram resolutionem obiici possunt, commodius soluentur, cum resolvemus vnde sit desumenda vnitas & distinctio scientiarum totalium.

112. *Logica totalis non habet vnitatem genericam aut specificam propriè loquendo*. Hæc sequitur ex dictis quia Logica totalis est quid constatum ex pluribus habitibus completis distinctæ speciei, qui inter se non vniuntur per se, sed per accidens, & consequenter non est quid per se vnum propriè loquendo, ergo non habet vnitatem specificam aut genericam propriè loquendo; quod enim talem vnitatem habet, debet esse vnum per se propriè loquendo, & vt sic directe collocabile in aliquo prædicamento, nisi sit quid transcendens. Dixi autem in conclusione, *propriè loquendo*, quia si comparatur Logica totalis ad suum obiectum adæquatum, v.g. syllogismum, potest desumere denominationem vnius generis scientiæ, vel vnius speciei scientiæ ab ipso, si ipsum sit vnum specie non includens sub se syllogismos distinctos speciei, aut vnum genere si includat sub se syllogismos distinctos speciei; eo enim modo, quo obiectum adæquatum est vnum in se, potest denominari extrinsece scientia esse vna, hæc tamen denominatio erit impropria cum non faciat ipsam scientiam totalem in se intrinsece esse vnicam speciem, aut vnicum genus.

*Obiicies*: Logica totalis abstrahit à Logica totali Petri & Pauli, quæ nõ distinguuntur speciei, sed tantum numero & prædicatur in quid de his, ergo est vna species respectu ipsorum; quod enim prædicatur de pluribus numero tantum differentibus in quid, est species propriè loquendo. *Respondeo* negando consequentiā, & distinguendo eius probationem: si sit vnum per se, concedo, si non sit, nego. Et exemplum patet manifeste in aggregato abstracto ex pluribus aggregatis lapidum, quamvis enim in quid de illis prædicetur, tamen non est species propriè loquendo respectu eorum, quia non est vnū per se.

A D D I T I O.

*Mastrius eadem disp. 1. nu. 79.* meam doctrinam hac questione *conclusionem* 3. & 4. ait impugnatam esse in sua Logica *disp. 12. q. a. 3.* quia nisi maior nexus esset inter habitus partiales, ex quibus constatur scientia totalis quam aggregationis & ordinis, non esset maior ratio, cur ex omnibus conclusionibus Physicalibus constituitur vna scientia quam ex Physicalibus & Logicalibus. Quod si dicatur, inquit, plures conclusiones potius in vnam classẽ conuenire, quàm alias ob aliquam communem rationem obiectalem, in qua conueniunt & in qua velut in fundamento primo fundantur ipsarum veritates proxime vel remote, hæc ipsa vnitas est maior, quam solius ordinis aut aggregationis. *At nec hic* etiam aliquid affert responsione dignum: nam non probat villo modo quod illæ scientiæ partiales cõiungantur physice, aut vniantur vnione aliqua physica, ratione cuius facerent vnam per se scientiam totalem, quæ esset genus aut species aut cõsequenter vna vnitate specifica aut generica vnitate propriè dicta, neque soluit vt debebat fundamenta, quibus ego, quod docueram, probavi. Alteram autem vnionem aut vnitatem quam ipse in re admittit videtur ego etiam admissi vt ipsemet fateatur. Cur ergo contendit nimirum cum in re non possit, disputat de verbis, at certum est si verba ipsa spectes, me longe proprius loqui; & similitudinem illam maiorem ac conuenientiam, quam omnes scientiæ partiales constantes scientiam totalem habent maiorem inter se, quam cum scientiis partialibus constantibus aliam scientiam totalem, nihil prorsus deseruire vt faciant vnam per se scientiam alia vnitate quam ordinis aut aggregationis, sicut nec similitudo specifica quam habent homines omnes aggregantes exercitum iuuat vt faciant inter se aliquid vnū specie vel genere vel alia vnitate quā aggregationis ac ordinis, quod exemplum demonstrat intentum meum.

Q V Æ S T I O V L T I M A.

*Quomodo Logica sit necessaria ad alias scientias.*

113. *N*on est quæstio de Logica naturali, cum enim illa sit vis discursiva intellectus, sine qua naturaliter implicat cõparare scientiā vllam, non est dubium quin sit simpliciter necessaria ad scientiæ cuiusvis, siue totalis, siue partialis, acquisitionem: quare quæstio debet esse

Logica totalis non habet vnitatem genericam aut specificam

Quomodo scientia totalis spectat ad prædicamentum.

de Logica artificiali, non quidem quoad omnem omnino partem sui, sed principaliter controuersia tantum est de illa parte quæ docet modum conficiendi syllogismum, & eiusdem syllogismi naturam.

*Quotuplicitur aliquid possit esse necessarium.* Aduertendum autem aliquid posse esse necessarium ad finem aliquem dupliciter, primò simpliciter, secundo secundum quid: necessarium secundum quid dicitur illud quod tantum requiritur ad breuiter, expedite, & minori cum difficultate acquirendum finem; quamuis absolute potuisset finis acquiri sine illo: sic dicitur necessarius equus homini ad conficiendum longum iter, & sine controuersia Logica hoc modo est necessaria ad acquirendas scientias, & hoc ipso capite cuiusque scientiarum cupido commendatissima deberet esse. Necessarium simpliciter, & absolute subiudicatur in necessariū physice & moraliter, necessarium physice dicitur illud, sine quo non potest vlllo modo naturaliter finis acquiri, quia scilicet, vel est principium physicum sine totale, siue partiale influens in finem vel in aliquid prærequisicum ad acquisitionem finis, vel est conditio applicans tale principium ad producendum suum effectum, hoc modo est necessaria virtus calefactiua, & applicatio talis virtutis ad producendum calorem: Necessarium moraliter est illud, sine quo quidem posset finis acquiri physice, quia scilicet daretur sufficiens virtus physica, & applicatio eius sine illo ad producendum tale finem, tamē adeo difficulter produci posset sine illo, vt in communi hominum opinione censeretur impossibile. Sic dicitur esse necessarium vni homini ad vincendum centum homines habere aliquid auxilium extrinsecum, quia licet re vera, si vinceret illos homines non sequeretur vlla implicancia physica, habet enim virtutem physicam vnus, vt respectu vnus hominis interficiendi, ita respectu centum, tamen in communi prudentum estimatione censeretur esse moraliter impossibile, vt id faceret sine aliqua ope extrinseca sibi collata: & de necessario his duobus vltimis modis procedit hæc quæstio.

## CONCLUSIO I.

*Logica non est necessaria vlllo modo simpliciter, nec moraliter, nec physice ad acquirendam scientiam quamcumque partialem.* Hæc est communior veterū, quos sequuntur *Auerſa. q. 1. Log. sect. 4. Complut. disput. 1. proem. q. 7. contra Araxo 2. Met. quæst. 1. Gallego hic quæst. 1. ac Camerariū q. 5. plures pro se citant. Probatur:* quia non est vlla difficultas aut physica, aut moralis assequendi aliquā scientiā partialem sine Logica, ergo nō est necessaria simpliciter ad quamcumque scientiam partialem. Probatur antecedens, tum quia non potest assignari quænam sit, tum etiam quia aliquis syllogismus est tam euident ex natura sua, vt ad cognoscendum, quod euidenter concludat, non sit necessarium aliquid aliud præter ipsam vim intellectiuam non impediam; & etiam potest talis syllogismus fieri absque adminiculo artis alienius, vt patet experientia in multis, qui & bene discunt, & cognoscunt se bene discurrete in aliqua materia absque subsidio artis. Atqui si in tali syllogismo medius terminus esset causa siue à priori siue à posteriori connexionis prædicati conclusionis cum subiecto, sicut bene posset esse, tum quis sciret illam conclusionem: ergo potest dari scientia de aliqua conclusionem absque Logica artificiali.

*Confirmatur,* quia ante acquisitionem Logica artificialis debet sciri aliqua conclusio logica & illa scitur absque Logica artificiali, ergo scitur aliqua conclusio absque Logica artificiali.

*115. Dices* aliquam conclusionem logicam posse sciri, non tamen aliquam conclusionem vllius alterius scientiæ, & consequenter Logicam ad alias scientias esse simpliciter necessariam vel physice vel moraliter.

*Contra* illa conclusio logica propterea scitur absque Logica, quia deducitur clare & euidenter per discursum ipso lumine naturali intellectus notum, & non propterea quod sit Logica conclusio, ergo si conclusio physica, aut mathematica sic proponeretur, potuisset etiam sic sciri, sed nulla est ratio, cur aliqua non potuisset sic proponi tam bene quam illa logica proponebatur, ergo,

*Dices,* esse maximam rationem, quia Logica est instrumentum & modus acquirendi alias scientias secundum omnes.

*Contra,* quia potest esse modus, & instrumentum aliarum scientiarum dupliciter, vel ita vt conducat aliquo modo ad illas, vel ita vt sit simpliciter necessaria ad illas quoad omnes omnino conclusiones. Si dicatur, quod sit modus, aut instrumentum primo modo, hoc non obstat quo minus simpliciter possit aliqua conclusio alterius scientiæ cognosci sine ipsa, si vero dicatur modus, & instrumentum secundo modo, petitur aperte principium, nam hoc est quod negamus in conclusione, & cuius ratio ab aduersariis non potest assignari.

*116. Obiicies* contra hanc partem: non solum ad scientiam requiritur, quod ex causa deducat effectum, sed quod sciat etiam se id facere modo infallibili, quia alias non sciet imperturbabiliter, sed habebit aliquam formidinem, ne forte male deduxerit conclusionem ex præmissis: sed non potest scire se modo infallibili deducere conclusionem absque Logica: ergo ad scientiam Logica simpliciter est necessaria.

*Respondeo* negando minorem, sicut enim absque Logica artificiali potest scire se deducere primam conclusionem logicam, quam scit modo infallibili: ita etiam potest scire se modo infallibili deducere aliquam conclusionem alterius scientiæ.

*Confirmatur* hæc responsio, & simul conclusio, quia ideo cognoscit scientifice, syllogismos factos in modo, & figura iuxta præscripta Logica habere infallibilem modum inferendi conclusionem, quia cognoscit illos regulati per illa principia lumine naturali nota: *dicti de omni, & dicti de nullo, & quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se,* de quibus suo loco: sed potest lumine naturali cognoscere, quod hic syllogismus philosophicus: *omne constans materia & forma sublimari est mobile, ignis constat materia & forma sublimari, ergo est mobilis,* regulatur per illa principia tam bene, quam quicumque syllogismus primus, quem facit, quando primò acquirat Logicam: ergo potest esse certius quod conclusio euidenter & infallibiliter deducatur.

*117. Obiicies* secundo: scientia nequit haberi absque demonstratione, & hæc nequit haberi absque Logica artificiali ergo Logica artificialis est simpliciter necessaria.

*Respondeo* negando minorem, sicut enim prima demonstratio, qua cognoscitur prima conclusio Logica, habetur absque Logica artificiali, ita & potest haberi alia demonstratio, qua cognoscatur aliqua conclusio alterius scientiæ absque Logica.

Ratio autem vtriusque est quod demonstratio possit fieri duobus modis, primò cum aduertentia ad regulas aliquas vniuersales ostendentes quomodo vniuersaliter posset fieri discursus demonstratiuus, & hoc modo nequit fieri absque Logica artificiali, alio modo sine tali aduertentia, & sic potest absque Logica artificiali. Quando autem dicitur quod scientia sit effectus demonstrationis, & quod non possit haberi, nisi per eam, id non est intelligendum de demonstratione priori modo facta præcise, sed vel de illa, vel de demonstratione facta posteriori modo: vnde patet posse haberi scientiam absque demonstratione artificiali, atque adeo absque Logica artificiali, per quod patet ad cæteras obiectiones.

## CONCLUSIO II.

*118. Vt quis addiscat scientiam aliquam totalem à præceptore experto in illa scientia non est ipsi necessaria simpliciter Logica, nec physice, nec moraliter.* Hanc conclusionem non inuenio apud vllum. Probatur tamen, quia talis præceptor posset ipsi proponere omnes conclusiones scitas satis clare & euidenter: sed quando sic proponerentur, per Logicam naturalem posset quis cognoscere discursum esse bonum: ergo Logica artificialis non requireretur simpliciter vlllo modo. Probatur consequentia, quia eatenus requireretur, ne quis deciperetur in modo discurrendi, seu vt quis cognosceret discursum esse bonum, ergo si posset hoc facere per Logicam naturalem, non requireretur simpliciter artificialis.

G 3

Confirmatur.

Quia modo Logica sit modus ac instrumentum sciendi.

Scientia potest acquiri absque demonstratione artificiali.

Potest haberi scientia totalis absque Logica mediare Magistro.

*Confirmatur*, quia non sunt valde multae conclusiones scitae in aliqua scientia totali; neque discursus, quibus illae ipsae probantur, sunt tam inevidentes & tam remotae à principiis lumine naturali notis, ut non posset ad eas tam moraliter, quam physice sufficere lumen intellectus praesertim boni & perspicacis.

*Confirmatur*, quia potuisset talis praeceptor ostendere ipsi quod omnis discursus scientificus istius scientiae regularetur per dici de omni, & dici de nullo; aut per quaecunque sunt eadem uni tertio, &c. & discens potuisset absque arte per lumen naturale videre quod ita esset.

*Dices*: praeceptor, non potuisset hoc facere sine Logica artificiali. *Contra*, quia hoc non obstat conclusioni, quae tantum asserit, quod aliquis posset discere scientiam totalem sine hoc, quod disceret Logicam artificialem vel quod haberet ipsam.

119 *Dices*: quando praeceptor ostenderet ipsi quod illi discursus regularentur per illa principia, tunc disceret Logicam artificialem.

*Contra*, quia non discit Logicam artificialem nisi quando discit aliquas regulas, quibus deberet conformare se inter discurrendum, aut quando disceret naturam discursus facti contra vel iuxta tales regulas: sed non esset necessarium, ut qui videret illos discursus regulari per illa principia, disceret aliquas regulas, aut naturam discursus facti iuxta aliquas regulas, sed tantum beneficio luminis naturalis cognosceret illud discursum esse bonum in illa determinata materia, quia proponeretur ipsi quod illa principia essent falsa, nisi ille discursus esset bonus.

*Dices*, multa possent per syllogismos sophisticos proponi ipsi contra illas conclusiones scitae, quae cum non posset soluere ob suam apparentiam, efficerent, ut dubitaret de conclusionibus scitis, & consequenter non haberet scientiam perfecte de iis, quia perfecta scientia excludit omnem dubitationem.

*Respondeo*, quamvis non cognosceret determinate forte, in quo peccaret discursus, bene tamen sciret, quod in aliquo peccaret, imo mediante aliqua distinctione, quam suggereret ipsi lumen naturale, potuisset totam difficultatem sophismatis aperte enadere: & certe iam communiter solvantur sophismata per distinctiones, & non per recursum ad Logicas regulas. Vnde negandum est, si semel sciret conclusionem, nec obliuisceretur istius scientiae, amplius eum dubitaturum de illa conclusione.

*Deinde*, qui optime sciret Logicam, & mediantibus eius regulis cognosceret scientificè aliquam conclusionem, posset adhuc hærere diu in soluenda aliqua difficultate proposita ipsi, nec tamen dubitaret de illa conclusione, aut si dubitaret, non est contra rationem scientiae admittere talem dubitationem: ergo quod non posset soluere difficultates, aut sophismata adducta contra conclusionem, quam sine Logica cognosceret, non impedit quominus ipsam sciret, praesertim cum non ex defectu cognitionis eius non possit illa soluere, sed ex defectu cognitionis aliquarum aliarum conclusionum.

#### CONCLUSIO III.

120. *Ut quis propria industria acquirat scientiam aliquam totalem perfecte, & praesertim quoad omnes conclusiones probabiles istius scientiae, necessaria est ipsi simpliciter necessitate morali Logica artificialis.* Haec est communis cum D. Augustino lib. 3. contra Acad. c. 17. Platone lib. 7. de Repub. & Philosopho 2. Met. 15. qui saepe etiam alunt veteres propter defectum Logicae sapius errant.

*Probatur conclusio ratione primò*, quia omnes Philosophi, qui ignorauerunt Logicam, errauerunt sapissime, & multò plus, quam qui Logicam calluerunt, ergo signum est quod Logica ad non errandum sit simpliciter necessaria necessitate morali.

*Dices* ipsum Philosophum, qui optime omnium cognovit Logicam, etiam erravisse, non tamen ob defectum Logicae, ergo similiter potuit contingere aliis Philosophis.

*Contra*, quia Philosophus non erravit in modo discurrendi, nisi quatenus supposuit aliquod principium pro vero, quod non erat verum: ait illi alij etiam erra-

uerunt in formando ipso discursu, & in deducendo id quod non sequebatur ex praemissis, & consequenter bene colligitur, quod illi errauerunt ob defectum Logicae, non autem Philosophus, & propterea ne sic erretur, Logicam esse necessariam saltem moraliter.

*Probatur secundo*, quia saepe apparet intellectui prima facie aliquem discursum esse bonum, qui tamen non est bonus, ut manifestum est experientia: & licet si quis diligentiam magnam adhiberet, potuisset lumine naturali cognoscere, quod non esset bonus, tamen inter tot discursus, qui in qualibet scientia occurrunt, est omnino moraliter impossibile, quin multos praetereat absque debito examine, nisi prius habeat Logicam artificialem, qua mediante possit facile regulare illos discursus.

Iuxta hanc autem conclusionem intelligenda sunt autoritates, eorum, qui necessitatem absolutam Logicae in ordine ad scientias acquirendas astruere videntur.

Addidi autem in conclusione praesertim quoad conclusiones omnes probabiles, quia in qualibet fere scientia totali multo plures sunt conclusiones probabiles, quae scientificae, ut patet in Physica, & Metaphysica: harum autem conclusionum plurimae vix possunt deduci nisi per syllogismos secundae, aut tertiae figurae, qui syllogismi non concludunt tam evidenter, quin aliquis posset dubitare de bonitate consequentiae, nisi esset instructus Logica, sciretque eos posse reduci ad syllogismos directos primae figurae, qui evidentissime concludunt: & propterea respectu harum conclusionum existimo maiorem esse necessitatem Logicae, quam respectu conclusionum, quae de facto sciuntur in aliqua scientia.

121. *Obiicies*: ipsa Logica totalis fuit inventa sine Logica artificiali, ergo similiter possent inveniri aliae scientiae, praesertim cum nulla fere scientia sit magis difficilis quam ipsa Logica.

*Respondetur communiter* negando consequentiam, & ostendendo disparitatem, quia scilicet Logica tradit modum, ac instrumentum acquirendi alias scientias, & propterea Logica est necessaria ad alias scientias, non tamen ad seipsam; quia ad modum sciendi cognoscendum, non requiritur alius modus sciendi, qui prius cognosceretur, quia alias daretur processus in infinitum. *Confirmari potest hoc exemplo*: quia licet domus aedificari nequit absque securi, tamen ipsa securis potest fieri sine alia securi praexistente.

*Sed contra*, quia scientia, quae est de modo sciendi, sit tam difficilis & tam multas contineat conclusiones quae aliae scientiae, & tamen potest acquiri sine aliqua alia scientia, quae sit de modo sciendi, aut de aliquo alio, cur non etiam aliae scientiae pariformiter? nam dicere, id provenire ex eo quod illa sit de modo sciendi, & quod propter hoc sit ipsi peculiare, quod possit acquiri sine alia scientia, est petere principium, nisi ostendatur aliqua ratio vel à priori, vel à posteriori, quae id colligatur. Confirmatio etiam videtur ad oppositum: quia si securis esset tam difficilis factu, quam domus, & posset fieri sine alia securi, similiter & domus posset fieri.

122. *Respondeo ergo aliter*, Logicam totalem secundum aliquam partem sui fuisse inventam sine alia Logica artificiali praexistente mediante Logica naturali, illam verò partem, quae habuit pro obiecto instrumentum, aliquod sciendi, verbi gratia syllogismum, conduxisse ad alias partes, & hoc tam necessario, ut sine illa parte, ceterae partes non acquireretur sine permixtione alicuius erroris.

*Sed instabis*: sicut prima pars fuit inventa beneficio Logicae naturalis, cur non & ceterae partes?

*Respondeo*, quia, quando quis non habet praefixas regulas, licet possit quoad aliquas operationes recte se gerere, tamen quoad omnes, praesertim difficiles, & in quibus facile posset committi error, id moraliter est impossibile.

*Instabis secundo*, sicut una pars Logicae conducit ad alias partes Logicae, ita una pars Physicae conducit ad alias partes Physicae: ergo sicut Logica potuit totaliter inveniri, una parte adiuvante ad acquisitionem alterius, ita similiter & Physica.

*Respondeo*

Logica  
est ne-  
cessaria  
ad scien-  
tias to-  
tales  
propria  
industria  
acquiren-  
das.

*Respondeo* negando paritatem antecedentis quoad omnia. & disparitas est, quod una pars Logicæ potest conducere ad aliam duobus modis, primo quatenus cognitio obiecti vnus partis conduceret ad cognitionem obiecti alterius partis propter connexionem, quam ista obiecta haberet inter se: secundo quatenus obiectum vnus partis esset instrumentum, quo posset acquiri cognitio obiecti alterius partis, siue haberet connexionem cum ipso in ratione obiecti, siue non; vna verò pars Physicæ non conduceret ad cognitionem alterius partis, nisi primo modo tantum: secus est de Logica, cuius vna pars vtroque modo potest conducere ad acquirendam aliam partem.



## TRACTATUS DE PRÆDICABILIBVS.



ORPHIRIVS Philosophus, secta Platonici, religione aliquando Christianus, à qua tamen postea defecit; cum videret ad pleniorē ac faciliorem intellectiōem libri Prædicamentorum Aristotelis, tyronibus valde profuturum, si quinque termini aut voces, de quibus in illo libro frequens occurrebat mētio, nempe *genus, species, differentia, proprium, & accidens*, & aliqua ad ea spectantia seorsim explicarentur; breuē tractatum de ipsis scripsit, quem *Ilagogen* seu introductionem vocauit, eo quod multum deseruiat Logicæ studiosis ad cognitionem libri Prædicamentorum, ac consequenter totius Logicæ introducendis. Hæc ergo *Ilagogen* modo explicanda est.

Vniuersale ut sic est obiectum ad æquarū huius tractatus.

Controuertitur autem de obiecto adæquato huius tractatus, sed omisso quæstionis parum vtilis longiori examine, tenendum est nobis cum Doctore nostro vniuersale ut sic, esse obiectum eius adæquatū (ex suppositione quod aliquod vnum obiectum sit assignandū pro adæquato cuiuslibet sciētiæ totali) quia omnes cōditiones obiecti adæquati ipsi conueniunt: est enim vnum quod cōplectens omnia quæ in hoc tractatu per se cōsiderantur, habetque proprietates de se demonstrabiles: & licet à Porphyrio nō fuerit definitū, definitur tamē in aliis partibus Logicæ, & propterea non erat necesse vt ab ipso hic definiretur. Quamuis autem grauiorē difficultates, quæ moueri possent de vniuersalibus, consulto omiserit Porphyrius, quod captū Chrysostomi, nobilis adolescentis Romani, ad quē hunc libellū direxit, excedere videretur nec omnino essent necessariæ ad intelligēda prædicamēta: cōmuni tamen authorū huius ætatis methodo, quantum ad hoc, insisterēdo, illas etiam examinare opportūnum iudicauit. Itaque totum hunc tractatum sex disputationibus absolui; quas tamen facilioris citationis causa continuabo quantum ad numerum cum præcedentibus duabus, sicut & reliquas Logicæ cum his.



## DISPUTATIO III.

*De Vniuersali ut sic.*



*Vniuersale ut sic* dicitur ex eo, quod dicat ordinem ad plura: quia vero multipliciter aliquid potest respicere plura, seu dicere ordinem ad illa, hinc multipliciter capitur vniuersale, quoddam enim est cōplexum, quoddam incomplexum. *Vniuersale complexum*, est aliqua propositio, ex qua multæ aliæ propositiones deduci possunt, vt, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, quod est principium satis vniuersale in omnibus scientiis. *Vniuersale incomplexum* est aliquid vnum, quod non est propositio, dicens tamen ordinem ad plura, & diuidi potest in *vniuersale in causando*, quod scilicet causare potest plures effectus diuersarum specierum, vel se

Vniuersale est multiplex.

Quid vniuersale complexum.

Quid incomplexum.

solo vt Deus, vel cum aliis causis determinatibus, vt Sol; & in *vniuersale vel significando*, seu representando, quod scilicet potest significare, aut representare plura, siue hoc faciant naturaliter, quemadmodum species tam expressa, quam impressa hominis representat naturaliter omnes homines, siue ex instituto aut beneplacito, vt vox *homo* significat omnes homines; siue alio quouis modo, & in *vniuersale in prædicando*, quod est aliquid potens prædicari de pluribus, vt homo potest prædicari de Petro & Paulo; & in *vniuersale in essendo*, quod est illud quod potest inesse pluribus, vt homo, inest Petro & Paulo, qui alias de ipsis vere prædicari non posset.

2. Ex his autem pluribus vniuersalium acceptionibus per se agitur in hac disputatione de vniuersali in duabus vltimis acceptionibus, quatenus scilicet est aliquid prædicabile de multis, & potens inexistere multis. Quia verò prius est rem inexistere multis, quā prædicari de multis; propterea enim potest prædicari vere de multis, quia potest inexistere multis; idē prius de vniuersali in essendo, quod vocatur Metaphysicū, quā de vniuersali in prædicando, quod vocatur logicum, tractandū est. Et si quærat cur vniuersale in essendo vocetur Metaphysicū, & in prædicando logicū cōmuniter responderi solet rationē esse, quod Metaphysicæ sit considerare proprietates rei abstractas à materia cōpetentes ipsi secundū se sine ordine ad actum intellectus, qualis est aptitudo inexistendi multis, quam habet vniuersale in essendo, quātale præcise & formaliter, & quod Logicæ sit agere de proprietatibus competentibus rebus vt dicunt ordinem ad actus intellectus comparatiuos, qualis est aptitudo prædicandi de multis, quam dicit vniuersale in prædicando quātale.

Sed siue hæc sit vera causa huius nominis, siue non, sufficit iam ita capi communiter vtrumque vniuersale.

### QVÆSTIO I.

*Quid est vniuersale Metaphysicum.*

#### CONCLUSIO

3. *Bene describitur vniuersale Metaphysicum esse aliquid vnum aptum inesse multis.* Ita communis cum Philosopho 7. Met. tex. 45. & patet, quia omni & soli conuenit, sufficienterque declarat naturam eius, vt patet ex eius explicatione.

Dicitur *aliquid*, per quod intelligitur aliquid reale positium; vnde excluduntur à ratione vniuersalis hic definiti negationes, priuationes, & entia rationis; quamuis enim possit dari aliqua ratio vniuersalis communis omnibus aut aliquibus entibus rationis, quæ esset vniuersalis respectu ipsorum, & similiter alia ratio communis omnibus negationibus ac priuationibus: nihilominus hic de solo vniuersali positio per se agitur, quia illud solum est quod spectat per se ad cognitionem prædicamentorum, & quia ex cognitione eius facile deueniri potest in cognitionem illorum aliorum vniuersalium.

Dicitur *vnum*, vt excludantur entia, quæ sunt vnum per accidens, vt tam quæ cōponuntur ex entibus diuersorum prædicamentorum, v.g. album, dulce, quàm quæ componuntur ex entibus vnus prædicamenti, sed non dicentibus ordinem per se ad cōpositionem, v.g. aceruus lapidum, exercitus, & similia. Quamuis enim aceruus lapidum vt sic, possit esse communis vniuersalis huic & illi aceruo, exercitus vt sic communis huic & illi exercitui, & album etiam vt sic, commune huic & illi albo; tamen hic non placuit Philosophis agere de vniuersali, quod esset sic vnum, nec eius consideratio vere, ad institutum spectat, quod solum tendit ad considerationem eorum, quæ ponuntur in prædicamentis: quæ autem sunt vnum per accidens vt sic, non ponuntur in prædicamentis, vt postea dicemus.

4. *Quod si quærat, an vnum illud, quod est vniuersale hic descriptum, debeat esse quid completum;* quamuis aliqui teneant partem affirmatiuam, tamē negatiua nobis præferenda videtur, quia vniuersale hic definitū, est quid comprehendens sub se quinque species, de quibus postea,

Quid vniuersale in causando.

Quid vniuersale in significando.

Quid vniuersale in prædicando & essendo.

Cur vniuersale in essendo vocatur Metaphysicum, & in prædicando Logicum.

Descriptio vniuersalis metaphysici.

Vniuersale ut sic non debet esse quid completum.